VITA VENERABILIS VIRI ET EXIMIJ THEOLOGI FRANCISCI...

Giuseppe Massei, Benedetto Rogacci

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
32 A
20

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE


R.P. FRANCISCUS SVARE
IHS
e Societate
IESU
Doctor eximius
Quæ Scotus, aut Thomas dubijs implexa reliquit,
Hic mirâ ambiguis Soluerat arte Scholis.
Hoc unum haud Soluit dubium, quod Soluere nemo
Audeat an Sapiens, an mage Sanctus erat.

VITA VENERABILIS VIRI ET EXIMII THEOLOGI FRANCISCI SUARII, E SOCIETATE JESU.

Compoſita Italicè
A
JOSEPHO MASSEIO,
Et Latinè reddita
A
BENEDICTO ROGACCIO,
Ejusdem utroque Societatis Scriptore.

M. DC. XCIV.

TYRNAVIÆ,
Typis Academicis, per Joannem Andream Hörmann.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

ERUDITO LECTORI

FRancIſci Suarij, cujus ſingularem doctrinam jam diu, erudite Lector, cognitiſſimam habes, non illuſtrem minùs, cognoſcendam, admirandámque tibi vitam exhibeo. Si tot, támque vaſta illius percurrens volumina, digniſſimum repeRiſti, qui Pontificio ab Oraculo ſplendidum *eximij Theologi* cognomentum referret; comprehenſa hoc Libello ejuſdem perluſtrans exempla atque geſta, nihilo dignum minùs reperies, qui eximiæ commendationem virtutis apud omnes obtineat. Quin imò, ſi utramque Doctoris præſtantiſſimi laudem geminâ ex adverſo quaſi lance ſuſpendes, quæque de Divinâ ſcientiâ ipſe ſcripſit, cum ijs, quæ ſcribenda de ſe alijs reliquit, diligenti æſtimatione contuleris;

perfacilè eveniet, ut tu quoque in Sebaſtiani Barradij, aliorúmque concedas inſignium Virorum ſententiam, qui Suarium Doctrinâ quidem maximum, ſed virtute multò etiam majorem appellare conſveverant: Præſertim quòd tota illa eruditionis ampliſſimæ gloria, cumulandæ præſtantium factorũ admirabilitati mirificè inſeruit: adeò ut vel ijs ipſis, quæ translativa cæteroqui, & vulgaria per ſe poſſent videri, novum quẽdam extraordinariæ rariſſimæque dignitatis ſplendorem adjungat. Cùm enim Doctrinarum exuperans copia, tùm ſuopte ingenio prætumidum faſtoſúmque neſcio quid ſpiret; tum aſſiduâ, quæ ipſi obtinendæ requiritur, ſtudiorum contentione, & corporis vires atterere, & totum occupare animum ſoleat; quantum hinc pretii, atque laudis illius accedat virtuti, neceſſe eſt, qui, communi exiſtimatione ſupra doctiſſimos eminens, animi demiſſione vel infra rude vulgus ſe abjecerit: graviſſimis debilitatus atque fractus laboribus, cum valentiſ-

lentiſſimo quoque de vivendi auſterita-
te certaverit: perpetuáſque inter ſubti-
liſſimarum quæſtionum commentatio-
nes, & curas, Divinæ tantùm conſue-
tudini temporis, ac ſedulitatis impende-
rit; quantum, vel in vacuo feriatóque e-
remi cultore mirum poſſet videri? E-
nim verò, qui hoc uti modulo in legen-
dâ, quam exhibemus, Hiſtoriâ volue-
rit; nec res nudas duntaxat inſpiciet,
ſed cum authoris ſui ſtatu, & vivendi ra-
tione componet: præſertim verò ſi non
nihil & ipſe verſatus in literis ſit, earúm-
que, in toto ſibi homine depoſcendo,
vim maximam ſuiſmet ab experimentis
didicerit; næ tantùm is aberit, à Suarii
virtute parciùs demiſſiúsq; æſtimandâ,
ut timendum potiùs ſit, ne, quæ ipſius
leget exempla, vel, ceu fide majora, re-
pudiet; vel, tanquam credita nimis ar-
dua, timidiùs & cunctantiùs admittat.
Sed incommodas hujusmodi ſuſpicio-
nes, falsíque omnem calumniam abeſſe
quàm longiſſimè jubet Joſephi Maſſeij,
qui ea idoneis ex authoribus ſtudioſè

collegit, ac non ita pridem Romæ evulgavit, diligentia & integritas. Cujus ego opus, Italico ſermone conſcriptum, graviſſimâ Rev.mi Admodum Patris Thyrſi Gonzalez, ſupremi familiæ noſtræ Moderatoris, authoritate impulſus, communi Literatorū hominum Linguâ reddendum ſuſcepi: ut, quibuscunque per ſua notus erat ſcripta Suarius, ex alienâ ijs etiam ſcriptione innoteſceret, nec anguſtius haberet virtutis, quàm nactus jam fuerat eruditionis theatrum. Utere igitur, Lector, noſtro qualicunque hoc labore, &, quem in Doctrinis præeuntem non dedignaris ſequi; ejus per veſtigia, Chriſtianæ perfectionis in curriculo ne abnuas incedere: abſolutiſſimum utrobique habiturus, illic ſciendi magiſtrum, hìc exemplar vivendi. Vale.

EXEM-

EXEMPLUM APPROBATIONIS VITÆ.
P. FRANCISCI SUAREZ.

EX commiſſione Reverendiſſ. P. F. *Thomæ Mariæ Ferrari S. A. P. Mag. Ego infra ſcriptus attentè perlegi Libellum, cui titulus eſt.* Vita Ven. Viri, & eximij Theologi Franciſci Suarij è ſocietate Ieſu compoſita Italicè à Joſepho Maſſeio, & latinè reddita à Benedicto Rogaccio ejusdem utroque Societatis ſcriptore. *Sicut autem hanc ipſam mirabilis vitæ narrationem Italicè expreſſam, &c. demandato mihi olim Reviſoris munere, meritiſſimè commendavi; ita nunc eandem tam fideliter, quàm eleganter in Latinum Idioma translatam, publicâ luce digniſſimam cenſeo; cum in eâ nil ſanctæ fidei, ſacris canonibus, boniſque morib d.ſſonum repererim. In quorum fidem.*

Subſcripta

F. PAULINUS BERNARDINIUS
Ord. Prædic. S. T. Lect.

PROTESTATIO
AUTHORIS.

Quæ bonâ fide in hoc libro refero, ita meis Lectoribus propono; ut nolim ab ullo accipi, tanquam ab Apoſtolicâ ſede examinata, atque approbata; ſed tanquam, quæ à ſolâ authorum ſuorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum ſacræ Congregationis S. R. & univerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625 editum, & anno 1634. confirmatum, integrè atque inviolatè juxta Declarationem ejusdem Decreti à felicis recordationis Urbano Papa VIII. ánno 1631. factam, ſervari à me omnes intelligant: nec velle me cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare; vel famam, & opinionem ſanctitatis, aut Martyrij inducere, ſeu augere; nec quidquam ejus exiſtimationi adjungere, ullúmque gradum

dum

dum facere ad futuram aliquando illius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem; ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem, ſecluſâ hac meâ narratione, obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus filius haberi cupit.

Imprimatur extra Urbem

Si videbitur Reverendiſſ. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſger.

Imprimatur extra Urbem

Fr. Thomas Maria Ferrari Sacri Palatij Apoſt. Mag. Ord. Præd.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Franciſci origo, Indoles, & prima Salmanticæ ſtudia.

CAPUT II.

In Societatem Jesu admitti flagitat, rejectúſque primò ab ingenij hebetudine, voti demum fit compos.

CAPUT III.

Anno inter Tyrocinij experimenta traducto, ad audiendam Logicam mittitur, tenuiſſimo in eâ profectu deterritus, cum moderatoribus agit, ut ſe à ſtudijs prorſus removeant: ſed ſubitâ uberioris intelligentiæ luce perfunditur.

CAPUT IV.

Pari cum pietatis doctrinæque laude, perſequitur ſtudia, & Deiparæ honores mirificè amplificat.

CAPUT V.

Poſt aditam, juſſu Præſidum, Patriam, Philoſophiam docet Segobiæ: pérque ſolennes ordinum gradus ad Sacerdotium evectus, ſpiritualibus Domi rebus præficitur.

CA-

CAPUT VI.

Religioſiſſima vitæ ratio ab eo inſtituta Segobiæ, virtutíſque adeò vehemens contentio, ut fræno inhibenda fuerit.

CAPUT VII.

Novitatis præter modum in Doctrinis quæſitæ inſimulatus, Theologiæ Profeſſorem Abulæ, Segobiæ & Valliſoleti agit: heröicæque patientiæ ſpecimen præbet.

CAPUT VIII.

Novi adverſus illius Doctrinam tumultus: quorum per occaſionem ad Romani Collegij Cathedram evehitur, magnâque ibi Procerum exiſtimatione & gratiâ floret.

CAPUT IX.

Complutum, Theologiam prælecturus mittitur: ſuorum ibi editionem voluminum inchoat: mox traductus Salmanticam, publico Academiæ occurſu excipitur.

CAPUT X.

Delatum à Regiâ Conimbricenſi Academiâ Principis Theologicæ Cathedræ honorem, conſtanti pluries modeſtiâ deprecatus, Philippi demum Regis authoritate ſubire compellitur

CAPUT XI.

Varia ingenii, virtutíſque Documenta Conimbricæ edit.

CAPUT XII.

Multum moleſtiarum exhaurit ob interpretationem Decreti, quod Clemens VIII. circa pœnitentiæ ſacramentum condiderat.

CAPUT XIII.

Purgaturus ſe Pontifici, Romam contendit, & rara ubique virtutum relinquit veſtigia.

CAPUT XIV.

Adverſam in Urbe ſententiam æquanimiter ſubit: paratóſque ſibi honores fruſtratus, Conimbricam repetit.

CAPUT XV.

Eccleſiaſticæ Immunitatis defenſæ honorificum à Pontifice teſtimonium per literas recipit, mox, gravibus turbis in Angliâ commotis, Eccleſiæ iterum partes egregiè tuetur.

CAPUT XVI.

Quàm modeſtè ſimul, & liberè Catholicam Religionem edito adversùs Britanniæ Regem libro aſſeruerit: quantis id opus plauſibus Catholici celebraverint: quóque ipſe animi ſenſu ejusdem damnationem acceperit,

CA-

CAPUT XVII.

Diſcedendi Theologicâ è Cathedrâ facultatem exorat: Literarum quoque ſtudijs valedicere in animo habet: Sed Ulyſſiponem à Moderatoribus mittitur, ſua ibi editurus volumina.

CAPUT XVIII.

Nonnullarum virtutum, & voluntariæ primò Humilitatis reſidua.

CAPUT XIX.

De affligandi Corporis ſtudio.

CAPUT XX.

De Pietatis Studio, rerúmque Divinarum uſu, & temporis dividendi ratione.

CAPUT XXI.

Ecſtaſes quædam, & alia Divinæ virtutis oſtenta.

CAPUT XXII.

Ex laboribus per Eccleſiaſtici Interdicti occaſionem ſuſceptis, lethalem in morbum conijcitur.

CAPUT XXIII.

Eximia decumbentis pietas, hilaris mors, & celebre funus,

CA-

CAPUT XXIV.

Nonnulla divinitus edita illius meritorum gloriæque argumenta.

CAPUT XXV.

Quæ de illo communiter Hominum exiſtimatio fuerit: Ejusdemque Librorum index, & pretium.

FRAN-

FRANCISCI Origo, indoles, & prima Salmanticæ ſtudia.

CAPUT I.

PRodituruſ literis vitam obſequentiſſimi erga ſedem Apoſtolicam hominis, peculiari me nomine obſtrictum intelligo, ſacræ ut Inquiſitionis Decretis, quo par eſt, obſequio reſpondeam. Ab eo igitur conteſtando meum opus exorſus, diſertè profiteor, quidquid in hiſtoriæ hujus curſu, naturæ ſupra vires patratum narrabitur, quod ſive ad Suarium, ſive ad aliorum quempiam, nondum legitimis Eccleſiæ honoribus conſecratum, pertineat; nequaquam id, ceu à ſanctâ Romanâ ſede examinatum approbatúmque, ſed, veluti privato duntaxat ſcriptorum teſtimonio ſubnixum, afferi: integrâ proinde lectoribus libertate relictâ, eam hujuſcemodi ſan-

ſanctimoniæ argumentis fidem præſtandi, quam æquum, & prudens cuique judicium præſtandam ſuaſerit. Conteſtationem hanc, ceu fidelis ſubmiſſæque erga Eccleſiam obſervantiæ monumentum, omnibus ego, quibus condecorari meus poſſet liber, potiorem ornamentis & titulis habeo, ipsâque adeò in illius fronte additam volui: quo pacto antiquæ ſacerdotibus legis ſacroſanctum Dei nomen, diadematis adinſtar, in fronte præferre mos erat. Jam legitimo perfunctus officio, Narrationem propoſitam, luculentiori jam cum ſpe adfuturæ divinitus opis, ingredior.

Franciſcus Suarius, doctrinæ præſtantiâ, vitæque integritate clariſſimus, Granatenſi Regiâ in urbe ortus eſt Non. Januar. anni 1548. qua tempeſtate Paulus III Eccleſiam, Hiſpanias vero Carolus V. moderabatur, Cæſareo, ſuper tot Regnorum ſceptra, Diademate inſignis. Neque verò conſpicuum nobilitatis, & illuſtrium neceſſitudinum characterem abeſſe infanti Deus voluit. Quamvis enim ſanctorum virorum ſit, id genus ornamenta, pro alienis atque externis, habere deſpectui; nemo tamen ibit inficias, ex generis claritudine neſcio quem virtuti ſplendorem accedere, non illi diſſimilem, quo elegans,

&

& perſpicua incruſtatio pictarum imaginum venuſtatem illuminat. Ex Agofrini igitur, & Tocenaquij Dynaſtis, qui Cedillii Comitum titulo in præſentiâ cenſentur, legitimus illi ordo ſanguinis erat: paternúmque ſortitus eſt avum Alphonſum Suarium de Toleto, Ferdinandi Catholici Regis Oeconomum, nec inſtrenuum in bello adversùs Mauros miniſtrum: quo à Rege propterea non contemnendas Barbarorum Granatenſi in Regno poſſeſſiones, cùm inde poſt diutinam ſeptingentorum annorum tyrannidem, ij demum expulſi fuiſſent; virtutis operæque ſuæ præmium, accepit: unde factum, ut Suariæ illa ſtirpis propago, à Maurici ſanguinis fœce immunis prorſus atque integra, Toleto traduceretur Granatam, ibíque radices mox figeret, præſtantium ſemper germinum, atque honorum fœcunda. At decus Parentis, cui tantum hoc virtutis, ſapientiæque lumen Chriſtianus orbis acceptum referret, penes Gaſparem Suarium de Toleto fuit.

Is nempè, Antoniâ Vaſquiâ de Uriel ſpectatiſſimâ fœminâ ſibi nuptiis adjunctâ, præclaram illo ex conjugio ſuſcepit octo liberûm ſobolem, pari numero utrumque inter ſexum diviſam. Fœminarum tres, etſi minimè aberant,

rant, quæ ad latiorem capeſſendam ſæculi viam provocarent, rapaces illecebræ; ijs tamen contemptis, in Granatenſe Divæ Paulæ cœnobium maluerunt ſe abdere: ibique religioſæ curriculum vitæ, non ſine rarâ probitatis opinione abſolverunt: Maria in primis, cujus merita cœlum quoque affirmavit, inſoliti odoris, ex illius virginali cadavere interdum emanantis, fragrantiâ. Catharina verò ſororum poſtrema, cùm Joanni de Trillo Carcabucienſis oppidi, atque arcis Gubernatori nupſiſſet; viſa eſt divinitus lecta, quæ ſuo teſtaretur exemplo, poſſe, vel mediâ in profanæ vitæ licentiâ, perfectionis Chriſtianæ ſeveritatem florere, ipſiſmet invidendam Religioſis cœnobijs. Totis certè annis triginta (quot ſcilicet à viri obitu, mortalis vitæ reliquos habuit) perpetuus hic illi mos fuit, ut ex arce quovis manè deſcenderet, plures ſecum famulos ducens, veſtibus, medicamentis, cibariis, & reliquâ omni onuſtos, quam egenorum atque ægrotantium uſus requirerent, copiâ: cum ſuis ipſa manibus, quod inopum cuique opus foret, non minori, quàm ſingulos ſi genuiſſet, benignitate divideret. Quas inter charitatis impenſas re familiari magnam partem exhauſtâ, fidiſſimum, maximéque

méque opulentum Liberis debitorem reliquit Deum: qui ſempiterna quærentibus primitus bona, mortalium quoque appendicem promiſit. Ad virilem porro ſexum quod attinet; primus ex eo lucem hauſit Joannes, qui matrimonio devinctus, familiæ non minùs pietatem propagavit, quàm decus, & nomen. Alterum naſcendi ſors fecit Franciſcum, cujus res geſtas memoriæ tradendas ſuſcepimus. Secuti deinceps Petrus, & paterni hæres nominis Gaſpar: quorum priorem ipſo adoleſcentiæ vernantis in flore, præcoci mors ictu demeſſuit; alter Franciſci per veſtigia Societatem Jeſu inijt, confectóque in eâ ſtudiorum curriculo; dum procurandæ Barbarorum ſalutis percupidus Philippinas ad inſulas navigat; antequàm quæſitis poſſet navim littoribus ſiſtere, ſupremum æternitatis attigit portum: uſque eò ſolâ dives inopiâ; nihil ut ſpoliorum moriens reliquerit; præter vetuſtum Eccleſiaſtici officij breviarium, Thomæ à Kempis de contemptu mundi libellum, precatorium ſertum, flagellum, cilicium: dignam nimirum Religioſo ſupellectilem viro, cujus omnes theſauri Crux, atque nuditas Chriſti.

Jam inclytæ ſtirpi haudquaquam ſe degenerem

generem Franciſcus exhibuit. Ex prævijs auroræ fulgoribus ſecuturæ diei pulchritudinem augurari protinus licuit; ipsâ jam infantiâ ingenium prodente admodum docile, modeſtum, cordatum, ab ætatis levitate abhorrens, & honeſtati penitus factum. Nec parum eò contulêre, ſeu laudatiſſima Parentum exempla, quæ teneris puerorum in animis, non ſecus, ac molli ſignum in cerâ, ſui effigiem conſueverunt imprimere; ſeu egregia magiſtrorum inſtitutio, quibus in comparandis nullam ſumptuum rationem Genitor duxit, optimè gnarus, facultates liberis quæri, non facultatibus liberos ſuſcipi. Præcipua itaque pueri ſtudia erant ſcholis operam, & literis dare, privato in conclavi pias preces fundere, arulas concinnare, ſacri oratoris perſonam induere, déque hoc genere alia factitare ad Dei cultum ſpectantia. Erga quæ multò etiam cœpit affici impenſiùs, poſtquam Pater, ad piam filii propenſionem fovendam, duobus ſacerdotiis, quorum ſuam penes familiam jus erat, etiam tum decennem ornavit, tonſurâ Eccleſiaſticâ rite initiari, & clericalem habitum aſſumere juſſum.

Dum igitur fauſtis hiſce primordiis ad ulteriora Puer incrementa proluderet; triſte

quid-

quiddam, & tragicum accidit, quod teneram mentem terreret ſimul, erudirétque. Perambulabat fortè Granatam, adoleſcentuli nobilis comes, qui, rixâ cum prætereuntium quopiam ob dignitatis contentionem exortâ, eò uſque iracundiâ provectus eſt; ut Adverſarium diſtricto pugione confoſſum, humi exanimem ſterneret. Franciſcus in re trepidâ, & ſubitâ, ultrà quàm ætas ferret, ſui compos, attoniti & peractum exhorreſcentis facinus comitis ſubducendæ in tutum ſaluti opportunè proſpexit: ſed ſaluberrimum inde monitum retulit, & ſuæ ut pariter incolumitati proſpiceret, vitandà improborum conſuetudine, iiſque in officio continendis refractariis affectibus, qui, ſemel excuſſo rationis jugo, in quævis præcipitia & abrupta, obnoxium ſibi animum cæco impetu rapiunt.

Commodùm Grammaticæ jam metas attigerat, cùm à Patre deſtinatur Salmanticam: quò nimirum, in percelebri illo doctrinarum emporio comparatis ſapientiæ ornamentis, ad ſplendida obtinenda munera patentiorem ſibi aditum ſtrueret. Eò itaque cum idoneo famulorum comitatu miſſus ipſe eſt, unáque Joannes natu ex fratribus maximus: qui licèt propterea in Patremfamilias

 educa-

educaretur , ac domûs rectorem ; non abs re viſum eſt tamen , ſi aliquâ imbueretur juris notitiâ ſubſidio ad domeſticas lites futurâ : cùm parum tuta negotiorum ſit ratio , ex alienâ prorſus fide , atque induſtriâ pendentium. Appulſi Salmanticam fratres , civili ſe in jure auditores dedêre conſultiſſimis illius Athenæi Profeſſoribus : nec nullum Franciſcus operæ tulit pretium , ut qui ad ſtudij contentionem , adjunctam inſuper â naturâ haberet memoriæ felicitatem. Quanquam non tantum fuit illi enitendum , ut legum humanarum peritiam Magiſtrorum è prælectionibus duceret ; quantum , ne alienos divinis à legibus ſenſus , ac mores ſodalium ex conſortio referret. Cùm , & in tantâ Juventutis frequentiâ , quantâ publicas Academias celebrari mos eſt, vix unquam contingat, quin permultos tum feruor ætatis , tum voluptatum illecebræ , tum peccandi libertas , vitiorum in devia transverſos impellant ; & adoleſcentem , per ſeſe imbecillum ac lubricum , adverſo tot æqualium per prava ruentium torrente nequaquam auferri, rari adeò exempli res ſit ; ut inter prodigia recenſeri non immeritò poſſit. Sed ſapientia cœleſtis, quæ nec *in malevolam animam intrat*, & Franciſco largè adeò effuséque ſe impertiri decre-

decreverat; hoc in eo miraculi inſtar exhibuit nullis paſſa nequitiæ contagijs, paternâ quam ex Domo ille attulerat, virgineam integritatem fœdari.

In Societatem IESU admitti flagitat, rejectúsque primò ab ingenij hebetudine, voti demum fit compos.

CAPUT II.

DIvinæ nutu Providentiæ factum eſt, ut per verni jejunij ferias noſtro in Salmanticenſi templo conciones haberet P. Joannes Ramirius, flexanimus in primis atque ardens Orator. Qui, cùm ſuâ illâ eloquentiæ concitatiſſimæ vi præcipua quæque, & formandos ad mores quàm maximè idonea Chriſtianæ veritatis effata inculcaret; tantos in Academica juventute animorum motus concivit; ut ex eâ ferè ad quingentos (quod vix reperiret fidem, nisi plurium, qui adfuêre, teſtimonio comprobaretur) alijs atque alijs Religioſis familijs dederint nomina: non pœnitendo, ex eâ prædâ nobis quoque addito quinquagenûm capitum numero. Quamvis, ut

cæteri defuiſſent omnes, quantumcunque unus numerum penſare, & implere poterat, qui eorum pars fuit, Franciſcus Suarius.

Aderat ille concionanti aſſiduus auditor: neque ſolas contentus aures præbere, ſedulò etiam, quæ dicerentur, cogitatu expendebat. Humanarum hinc rerum vanitate perſpectâ, ab ijs animum longiùs abduxit, ſerióque reputare apud ſe inſtitit, quàm ſuis egregiè conſultum rationibus foret, ſi, ex turbulento; ſcopulíſque, ac naufragijs quaquaverſum diſſeminatis formidoloſiſſimo ſæculi freto, fidum in aliquem ſe reciperet portum: ubi tum periculorum minus, tum certiora præſto eſſent ſalutis æternæ ſubſidia. Et plura quidem, circumſpectanti hinc inde occurrebant, quæ hujuſcemodi aſylum ſponderent, religioſorum ordinum præclara inſtituta. Sed viſum Deo eſt, volenti noſtræ Societatis primordia illuſtrare, ut illam ſibi demum amplectendam ſtatueret: ubi nimirum, & Apoſtolici profeſſionem ſpiritûs, & plenum animadvertebat florere primævæ inſtitutionis vigorem. Hoc igitur ſuſcepto conſilio, ad Salmanticenſis Rectorem Collegij adit, eíque, quid haberet in animo, exponit. Laudare ille primò pietatem: tum, varia interrogando, divi-

divinitusne in eam adductus eſſet Juvenis mentem, ſcrutari. Cúmque reſponſa nihil fraudis probâſſent, aut erroris ſubeſſe; ad primarios eum ablegavit Collegij ſui Patres: quò ſcilicet, à pluribus, ſpectatæque prudentiæ viris re cognitâ de illorum ſententiâ certius dein poſſet conſtitui, quid è majore foret Numinis gloriâ. Patres; poſteaquam ſeparatim ſinguli, quæ ſcitu opportuna videbantur, ex eo percontati ſunt; collato tandem univerſi conſilio, minimè recipiendum decernunt. Optimam eſſe quidem Juvenis mentem, & innocentiam beatis Cœli mentibus proximam, ſed valetudinem admodum fluxam: unde & oneroſus ipſe ordini, & hic illi æquè gravis videretur futurus. Præterea tenuiſſimi eum ſpecimen ingenij præbere, exiguámque adeò ſpem idoneæ ad noſtra miniſteria conſequendæ habitudinis: quòd non levium afferre mox poſſet curarum atque ægritudinum cauſam, poſtremos ſe inter ſociorum, cernenti ſubſiſtere: præſertim verò, cùm ad modò dictæ inæqualitatis moleſtiam ſuâpte ſatìs gravem naturâ, novum inſuper acceſſurum eſſet pondus à Stirpis generoſitate, & illuſtrium conſcientiâ natalium. Hic fuit conſultationis tunc habitæ exitus: in hanc ab omni-

bus pariter conceſſum ſententiam. Ut profectò, ejuſmodi initia cum ſecutis deinceps conferenti progreſſibus, admirabilem divinæ Ludum Providentiæ liceat agnoſcere: quæ aquilam ſublimes adeò explicaturam volatus, tam anguſtis debilibúsque inſtructam alis voluerit, quò teſtatum nempe omnibus faceret (idque adeò ex infra dicendis luculentiùs patebit) celeberrimam illam, quâ Suarius mox adultior inclaruit, ſapientiæ amplitudinem non naturæ deberi, ſed Gratiæ: nec humanis partam conatibus, ſed ſingulari Numinis beneficio fuiſſe impertitam.

Avertiſſet minoris conſtantiæ alium repulſæ ignominia. Magnanimum, egregijque tenacem propoſiti Candidatum non ultrà commovit, quàm ut cœpta urgeret enixiùs. Quandoquidem igitur Salmanticenſi cum Rectore minùs proſperè ſibi alea ceciderat; eandem tentare iterum ſtatuit apud Provincialem Joannem Suarium, Valliſoleti per id tempus degentem, Virum (ut à P. Ludovico de Ponte in Baltaſaris Alvari vitâ appellatur) integris moribus, pium, prudentem, maximique animorum in regimine usûs. Hac adeò ſpe hominem convenit, illius pedibus ſupplex advolvitur, ſua ne vota deſtituat, impenſiſſimè

mè obſecrat, precibus lacrymas miſcet: nec aliud tamen primo illo congreſſu certioris eblanditur reſponſi, quàm, ut Provinciæ cum Conſultoribus agat, nimirum ut ſecundò excludatur. Causâ ſiquidem ab ijs ritè exploratâ, & perpensâ, idem tunc fuit Vallisoletani conventûs, quod Salmanticenſis pridem fuerat, judicium: non poſſe morem Juveni geri, tam exiguas afferenti corporis vires, nec liberaliùs ab ingenij præſidijs inſtructo. Extare paſſim complures Religioſorum hominum cœtus, qvorum Inſtituta non tam neceſſariò eas naturæ facultates exigerent. Ad eorum qvempiam adijceret animum, divinóqve ibi ſe impenderet cultui, nihilò uberem minùs meritorum ſegetem collecturus, ac fructum pietatis. Auditâ Provincialis Conſultorum ſententiâ, qvamvis eorum ſuffragijs, ubi ejuſmodi qvidpiam in diſceptationem veniret, acquieſcere aliàs ſolitus eſſet; hic tamen obviam ſibi eundum putavit; occultâ vi qvadam (veluti ex ipſo pluries deinde affirmante cognitum eſt) adverſam planè in partem compulſus diſcedere. Ad eos igitur verſus, qvibuscum deliberationem inſtituerat, Patres, diſertè fidentérqve, altiori ceu lumine afflatus, pronunciat, qvem à Societate excludendum adole-

adoleſcentem cenſerent, futurum olim cùm ipſius Societatis inſigne ornamentum, tum præclarum Chriſtianæ lumen Reipublicæ. Nec mora: ſecundùm hæc præſagia, Franciſcum in filij loco amplexatur, & literis inſtruit, Salmanticenſium Rectori Sociorum tradendis: quibus præſcribebatur, earum ut latorem domi actutum reciperet, Methymnam mox Campi, ubi Caſtellanæ informabantur Provinciæ Tyrones, mittendum.

Quid intimæ voluptatis ex tam ſecundo petitionis ſuæ exitu, Religioſæ vitæ prenſator ſtudioſiſſimus cœperit, pronius cuique fuerit cogitando aſſequi, quàm mihi ſcribendo explicare. Sed neque minima Rectorem admiratio occupavit, ubi, reſignatis literis, mandatum Provincialis perlegit, domeſticorum Patrum ſententiæ omnino contrarium, quibus, ut negotij totius apprimè ſcientibus, habitum iri fidem putaverat. Animo tamen ab humanæ prudentiæ rationibus auſcultandis ad Divina veneranda conſilia traducto, Suarium & excepit humaniter, & Methymnenſem ad Probationis Domum dimiſit; quamvis duriuſculâ priùs ſponſione devinctum, quæque obfirmatiſſimæ illius in propoſito voluntatis argumento eſſe poſſit. Egit quippe cum ipſo,

ipſo, Indifferentis ut nomine ad Societatem profiteretur ſe accedere, plenum ideo Moderatoribus arbitrium relinquens, ſeu ſcholaſticos inter cooptatum literarum ſtudiis eum admovendi, ſive Coadjutorum Spiritualium in ordine continendi liberalibus à diſciplinis remotum: hujúſque ſponſionis legitimam à digreſſuro petiit, & ipſius teſtatam Chirographo fidem. Franciſcus, cui jam tum altè ſedebat in animo corporatæ illud Veritatis paradoxum, (a) *Quicunque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus*, exporrectâ fronte oblatam conditionem recepit, ad humillima quælibet officiorum, ac munerum haud cunctanter ſe obſtringens: hodiéque in vetuſto Salmanticenſis Collegij libro conſignatum hoc ſupereſt magnanimæ illius demiſſionis monumentum, ac ſpecimen.

Sed in ipſo jam portûs conſpectu proximè à naufragio fuit. Cùm enim Amicum Salmanticæ ſibi charum, ſuprema obiturus diſcedentium officia, acceſſiſſet; præpoſtero hic amore occæcatus à pio eum conſilio deducere, quibus potuit, tentamentis & machinis, acerrimè inſtitit. Poſuit ob oculos religioſi ſtatûs duritiem, imbecilliorem naturæ ſuæ habitum

(a) *Marci 10.*

tum, paternæ Domûs commoda, ſecundæ honorum ſpes, parentum eâ ex jacturâ mœrorem, quæque alia in ejusmodi articulo filiis lucis obtrudere conſueverunt tenebrarum filij. Addidit argumentis preces, precibus lacrymas, injucundam ſibi jurans, & triſtem perpetuò futuram, ſi cariſſimo à capite ſeparari contingeret, vitam. Non vulgari ſanè opus erat conſtantiâ, tenera ut indoles violentam adeò oppugnationem duraret. Quin ipſe Suarius ætáte jam devexà hoc ſibi deſudatum Adoleſcenti certamen, non abſque horroris ſenſu; auditus eſt pluries referre. Omnibus támen; Divinâ aſpirante virtute, perruptis ac ſuperatis obicibus, conſtitutum Methymnam verſus iter arripuit: ubi; 1564. Chriſtianæ ſalutis anno ad Junij dimidium provecto, ſuæ verò ætatis labente tum decimo ſeptimo, candidiſſima illa ſoſpitalem ſe in arcam recepit columba, lutulentis à ſæculi ſordibus, & corruptelis intacta.

Anno

Anno inter Tyrocinij experimenta traducto, ad audiendam Logicam mittitur: tenuiſſimo in eâ profectu deterritus, cum Moderatoribus agit, uti ſe à ſtudijs prorſus removeant: ſed ſubitâ uberioris intelligentiæ luce perfunditur.

CAPVT III.

NOn vulgare Franciſci privilegium cenſeri jure optimo poteſt, quòd eum ſanctioris inter vitæ primordia inſtitutorem formatorémque ſit nactus, qualem Alphonſum Rodericium, qui Methymnenſi Tyrocinio id temporis præerat, vulgata typis monumenta, flos ipſe, ac medulla religioſæ perfectionis, declarant. Huic tam excellenti Magiſtro, Methymnam ubi attigit, ſe ille totum permiſit, ad ſublimem noſtrarum Conſtitutionum ideam effingendum. Hinc ſolidum menſem ſpiritualibus exercitiis ritè percultus, unà cum profano veſtitu, quidquid etiam profani habitûs, amoriſque ſupereſſet in animo, exuit: eum verò, quo decorus acceſſerat, innocentiæ nuptialem amictum, pretioſis virtutum,

tutum, ad ſui victoriam, cúmque Deo conjunctionem ſpectantium, ornatibus Phrygiorum quaſi operum additamentis, ſplendidiùs diſtinxit: inſigne omnibus propterea ſpectaculum, & corporati quædam Angeli effigies.

Habet id moris Societas, ſuos ut alumnos, priusquam ſacro ij votorum nexu obligentur, perpetuum biennium Probationis in Domo contineat, illis altè imbuendos virtutibus, quæ utilem publicæ ſalutis adminiſtrum conſtituunt. Celerrimus tamen tyronis noſtri profectus perſuaſit Moderatoribus; poſſe illum, poſt unius anni experimenta, in Philoſophici curriculi, Salmanticæ propediem ineundi, ſolem ac pulverem ex arcanâ Religioſi ſeceſsûs umbrâ produci: ita ut, ſi Logicas inter ſubtilitates commodum ingenij ſui ſpecimen daret; ad ulteriora promoveretur doctrinarum ſpatia: secùs inde avocandus, juxta illius fœderis formulam, quo ſe olim, ingreſſurus Societatem, devinxerat. Hanc itaque juſſus aleam ſubire, Præſidum denunciationem ſecurus excepit atque alacer: nisì quòd uſitatam tyronibus vivendi rationem ægriùs dimitteret, quæ, Divinis ſolummodo curis addicta, quandam ipſi terreno in exilio cœleſtis exhibebat imaginem Patriæ. Poſtquam ventum

Sal.

Salmanticam; præſcriptis ſe ſtudijs impendit, acri quidem conatu, ſed ſucceſſu propemodum nullo. Clitellæ, juxta vetus adagium, bovi erant impoſitæ. Alij facundiæ ingeniique cenſu florentes, in circulis plauſum referre; totos ipſe dies prælectionibus volutandis affixus, vel nihil reperire, quòd in medium depromeret; vel, ſi quidpiam eluctaretur, irriſui eſſe. Neque enim deerant, qui illius ſtupore, & infantiâ ad jocorum abuterentur materiam: quemadmodum neque D. Thomæ Aquinati intemperantiores nonnulli defuerant, à quibus bos mutus audiret.

Vel remiſſæ torpentique indoli acerbum id experimenti genus fuiſſet. Quid Juveni noſtro, experrectis & vividis ad ſua cùm animadvertenda, tum æſtimanda ludibria ſenſibus prædito? Sed profundâ nimiùm demiſſione fundari par erat ſapientiæ molem, tam ſublimi aſſurrecturam faſtigio: quò humanorum dein plauſuum aſpirantes undique auras tutiùs exciperet: & Franciſcus, Divinis non gravatè ſe ſubmittens arbitrijs, tot inter famæ vulnera, ſereno, quàm qui maximè, vultu durabat. Cùm tamen nonnulli jam menſes fluxiſſent, ſeque adhuc cum priſtinis naturæ difficultatibus nequicquam colluctari videret; orandum Colle-

gij Rectorem putavit, ut, quando ad percipiendas doctrinas nihil ſortius facultatis fuiſſet; ne Moderatores abnuerent, alio ſe calle ad propoſitum Societatis finem dirigere: pro certo id habentes, obſcuriorem ſibi gradum eò etiam acceptiorem futurum, quòd, à ſcholarum ſtrepitu procul, frugiferos Marthæ labores pacato Magdalenæ cum otio poſſet liberiùs conjungere.

(c) Regebat Collegium Martinus Guttierius inclytæ Vir probitatis, nec parum de Catholicâ meritus fide, cujus odio captus ab Hugonottis, durâque in cuſtodiâ inhumaniter habitus, Seraphicæ Virgini D. Thereſiæ oſtenſus ſecundùm obitum eſt, triumphali cælum pompâ conſcendens. Hic, cùm Franciſcum ad ejuſmodi ſe preces demittentem videret; peculiari quodam actus inſtinctu, non modò illius petitioni aſſenſum minimè præbuit; ſed amicis inſuper, ac lenibus verbis bono eſſe adoleſcentem animo juſſit, & inſtitutum alacriter curriculum perſequi. Suam ipſe pro virili conſerret operam: cætera illi curæ futura, cui non inuſitatum ſit, vel è ſaxis oleum exprimere:

(c) *Parva vita Suarij ante* 1. *Tomum de Gratiâ. Nieremb. T.* 2. *Virorum Illuſtrium in vitâ Guttierij.*

re : quíque ipſam diſertam norit facere infantium balbutiem. Excepit, quo ſolebat, obſequio ſui Præſidis voces Suarius, juxtáque B. Jacobi conſilium,(d) *ſi quis veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, luminum Patrem imploravit ex animo, rogans ſuppliciter, Divinum ut jubar, modò ad majorem id conduceret ſui nominis gloriam, tenebricoſæ affunderet menti: ſin aliter videretur; at Moderatores ſaltèm, quorum ipſe è nutu pendebat, ad aliam ſibi decernendam, ſuis convenientiorem viribus, provinciam impelleret. Hujus verò voti compos certiùs ut fieret; ad Deiparam confugit, cœleſtium ſequeſtram, & conciliatricem cujuſquemodi munerum, quam ab ultimâ ætate ſingulari ſemper tum amore, ceu Matrem; tum obſequio, ceu Dominam, proſecutus fuerat.

Notum eſt B. Alberti Magni hoc in genere exemplum: qui, cùm ingenio hebes, ac propemodum plumbeus, deſperaret poſſe unquam ad Doctoris ſe lauream pertingere; cæleſti Reginâ Sapientiæque Sede invocatâ, tantum è veſtigio perſpicacitatis ſubtiliſſimæ retulit; Magni ut nomen meruerit, præcipuósque inter nobiliſſimi illius Ordinis numeretur Ma-

(d) *cap.* 1.

giſtros, qui innumerâ præſtantium ſcriptorum ſobole Eccleſiam ditavit. Quod muneris B. Doctori divinitus contigit: id & Franciſco magnâ ex parte collatum probavit eventus. Nec à vero alienum crediderim, Sanctiſſimam Dei Matrem geminis hiſce munificam ſe adeò præbuiſſe patronam clientibus, quòd ambos ſuorum gnavos aſſertores decorum intelligebat futuros: quales fuiſſe, & B. Albertum ſat conſtat; & Suarium ex ijs, quæ in loco afferemus, conſtabit. Repentinò igitur aperiri ſibi intelligentiam ſenſit, & noctis concubitæ caligini meridianos fulgores ſuccedere. Omnia jam plana: nuſquam prior hæſitatio: cuncta probè percipere: nihil non diſertè explicare: prorſus ut illud Magni Leonis agnoſceres: (a) *Quàm citò diſcitur, ubi Deus magiſter eſt?* Primus novum id, & inſolens animadvertit prodigium ſocius, qui Franciſco privatim additus fuerat, Magiſtri ut prælectiones coram eo retractaret. Dum aliquando injunctum ſibi munus, nauſeabundus, & vano labori ſubiraſcens, exequitur; en tibi Franciſcus, repentè jam alius, quæ audierat, particulatim diſtinctéque, à primis orſus, repetere: tum ſuper ijs peracutas dubitationes proponere, nec

(a) *Serm. 1. de Pentec.*

nec ad prima ſtatim reſponſa quieſcere : quin ulteriùs ſæpe numero progredi, &, rurſus interrogando, novæ aliquid difficultatis objiceret enimvero incredibilis res alteri videbatur, & ſomnij ſimillima. Eam domi confeſtim evulgat: Alij atque alii, novitatem tam miram liquidiùs exploraturi, certatim accedunt: nullus cuiquam dubitandi locus relinquitur. Qualem primò ſocius deprehenderat; talem omnibus ſe deinde Suarius exhibuit : quique ad eam diem condiſcipulorum fabula ludúſque fuerat; alterius præceptoris loco haberi mox cœpit: adeo ut delectus ex omnibus ſit, qui Gregorio de Valentiâ, cùm is anno ſeriùs ad Philoſophiam acceſſiſſet, Logicam explicaret: & adhuc diſcipulus tam illuſtris Magiſtrum Theologi egerit.

Pari cum pietatis doctrinæque laude perſequitur ſtudia, & Deiparæ honores mirificè amplificat.

CAPUT IV.

INopina ſucceſsûs literarij felicitas, ſecundique hominum plauſus nihil à virtutis conſtantià moverunt Suarium, Hebræ-

orum longè diſſimilem, qui â Deo ſibi donatis Ægypti divitijs ad conflandùm uſi ſunt, quem in Dei loco nefariâ ſuperſtitione colerent, vitulum. Quemadmodum ſupra omnes ſodalium in honore atque pretio habebatur; ſic omnes modeſtiâ, ſubmiſſione, domeſticæque obſervantiâ diſciplinæ anteibat. Nec ita ſtudiorum rapiebatur dulcedine; primas quin partes Divinis ſemper rebus tribueret: aureum illud Apoſtoli pronunciatum impreſſum penitùs in animo habens (*f*) *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; Charitatem autem non habeam; factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.*

Confecto probationis biennio, adjunctus Societati eſt intra Scholaſtici gradum, éque nuncupatis ſolennibus votis novum hauſit ardorem, perfectum ſe ſe exhibendi ſupremo Conditori holocauſtum. Hac adeò de causâ, quandiu Salmanticæ operam ſtudijs navavit; excurrebat quotannis Methymnam, uberiori nutriturus pabulo, quem ibi primum melioris vitæ duxerat ſpiritum. Et licèt, remoto ex Novitiorum præfecturâ Alphonſo Rodericio, non parum ægritudinis animo ceperit, quòd tam egregio, & ſingulari deſtitutum

tum

(*f*) 1. *ad Corinth.* 13.

tum ſe videret Magiſtro; hanc illi tamen penſavit jacturam Baltaſar Alvarus Rodericij ſucceſſor: quem non levi afficere mihi injuriâ viderer; ſi alio meritorum teſtimonio exornarem, quàm quo ipſum Sancta mater Tereſia, tanti Viri diſcipula, & in pœnitentiæ Sacramento filia, illuſtravit. (g) Præterquam enim quòd neminem eſſe mortalium affirmat, cui æquè, ac Baltaſari, pro ipſius ſalubri regimine, eximiâque ad Chriſtianam perfectionem obtinendam ſibi operâ impensâ, ſe obſtrictam agnoſcat; eundem, ſacra inter peragenda myſteria, cæleſtibus redimitum radijs aſpexit: audivítque divinitus neminem in terris tunc agere, qui eo eſſet Numini acceptior. Quod quàm inſignis ſanctimoniæ argumentum ſit, perfacilis cuique conjectatio erit, ſi (quod Ludovicus de Ponte in Baltaſaris vitâ obſervandum putavit) tot ſibi proponat virtutis ſpectatiſſimæ Viros, quos, id temporis vitam degentes, privatâ partim veneratione, partim publico etiam ſolennique ad aras cultu Chriſtianus orbis proſequitur. Per ſtatas igitur ſtudiorum ferias, quo noſtri Scholaſtici tempore, ad recolligendas vires, laxandúmque tantiſper à perpetuâ contentione ani-

(g) *Lud. de Ponte in vitâ Alvari c. 6. & 11.*

mum, in amœniorem quempiam ſeceſſum conſueverunt dimitti; Methymnam Franciſcus, tanquam ad quietis ſuæ portum, pedes itabat. Hic omnibus Alvaro explicatis conſcientiæ ſuæ latebris, in actuoſo ſpiritualium exercitationum otio denos, eóque amplius interdum dies traducebat, ſibi tantùm vacans, & Deo: tum redintegrato ſpiritu, ingentium animorum; cœleſtisque plenus vigoris, ad conſvetos ſtudiorum labores redibat Salmanticam.

Philoſophicum curſum emenſus, Theologiæ in altum vela explicavit, jucundiſſimū in rerum, quæ ibi tractantur, celſitudine, & Divinitate nactus animi pabulum. Nec idoneum deſideravit Magiſtrum: cùm ex duobus atler obtigiſſet Henricus, famæ non ignobilis ſcriptor. Sed ampliſſimum illud ingenium uſitatis renuebat includi communium ſcholarum limitibus, in ulteriora longè prominens ſpatia: &, rivis poſthabitis, ipſum ſitiebat, ſuam ubi capacitatem expleret, uberrimum, ac liquidiſſimum fontem. Privato igitur ſtudio angelicam D. Thomæ ſummam evolvere inſtituit, totámque mirâ cum voluptate pluries relegit. Nec relegit ſolummodo; ſed & altè introſpexit, multa paſſim

obſer-

obſervans, & jam tum quoddam effingens doctiſſimorum voluminum, quæ in eam deinde commentatus eſt, rudimentum. Quin etiam, reflexis ad Philoſophiam curis, univerſam iterum obijt, & Metaphyſicæ libros, tanto exceptos eruditorum cum plauſu, non inchoavit modò; ſed penè in totum abſolvit: adeò ut; cùm typis poſtea ederentur; minimum ſibi ex primo illo immutandum exemplari fuiſſe, teſtatus ſit pluries. Quid multa? in eam doctrinæ opinionem devenerat: ut ex ſuis alter Magiſtris pudori ſibi minimè duceret, illius ſe Diſcipulum gerere: èque Suarij lucubrationibus non pauca deſcriberet, publicè mox auditoribus, ipsíque adeò Suario, dictanda:

Accidit aliquando, ut, Salmanticenſibus Socijs in Domo verrendâ occupatis, deſideraretur Franciſcus. Mirum id obſervantibus viſum: cùm ad humiliora id genus miniſteria, tanquam ſibi longè gratiſſima, primus aliàs cerneretur accurrere. Mittitur itaque à Gutterio Collegij Rectore, abſentiæ qui cauſam exquirat. Atque is, paulò poſt reverſus, apertis narrat ſe cubiculi foribus, Suarium inter libros, quodam veluti in ſenſuum juſtitio, externis ſemotum à curis, & nihil eorum, quæ

interim fierent, animadvertentem vidiſſe. Tum Rector, Divinorum in eo munerum largitatem demirans, *Ne huic*, inquit, *moleſtus ſis fratri. Deus enim, ut pro certo augurari fas eſt, ad rara, & eximia ſuam in gloriam patranda eum ſibi adminiſtrum delegit.*

Quàm non ex vano prædictum id fuerit, brevi cœpit eventus probare. Joannes Avila, clarum in Hiſpaniâ Viri Apoſtolici nomen, ad populi concionem aliquando perorans, in extollendis Deiparæ laudibus eò eſt provectus, ut illius ſanctitatem, quæque inde conſequitur, gloriam, omnium affirmaret cum beatarum mentium, tum reliquorum, quotcunque deſtinati ad beatitudinem puri homines ſint, coacervatæ in cumulum ſanctitati, atque gloriæ antecellere. Novum id ad aures tum accidit: & P. Guttierio, ad amplificandum, cui maximo ſtudebat opere, auguſtiſſimæ Virginis cultùm, viſum eſt poſſe multùm conducere, ſi legitimum adjunctis à rationibus, doctrinæque ſuffragio pondus reciperet. Jam verò exigenti ſecum, cuinam hujus ornandæ ſpartæ negotium demandari par eſſet; nemo unus aptior occurrit Suario, quamvis tum juvene, & Theologicis nondum ſtudijs perfuncto. Is de re compellatus, & conſilium ap-

probavit

probavit mirificè, & munus in ſe perlibenter recepit, oblatam ſibi occaſionem gratulans, aliquod ſuæ illi doctrinæ perſolvendi vectigal, cui totum doctrinæ ſuæ cenſum referebat acceptum. Propoſitum itaque opus alacri animo ingreſſus, totam confeſtim quæſtionem elucubravit: tanto argumentorum robore, tot ſacrarum literarum, & Patrum ſuffragiis eam Divinæ Parentis prærogativá affirmans; ut Guttierium, Lectoréſque alios tam conſummatus ætatis adhuc immaturæ partus non mediocri ſtupore defixerit: qui mox ab authore ſecundo in tertiam (*h*) D. Thomæ partem volumini eſt additus. Sed, quod nemo non eximiæ felicitatis fatebitur, meúmque quod animum pio quodam dulcis invidiæ ſolicitat ſenſu; ipſamet Cœli Regnatrix à ſuo id famulo ſuſceptum laboris in tantum probavit; ut Guttierio palàm præſens dignata ſit gratias humaniſſimè agere, quòd tam piæ, ſuíſque adeò de laudibus meritæ author Suario ſcriptionis fuiſſet. (*i*) Teſtantur rem Complutenſis annales Collegij, & Ludovicus de Ponte in eo, quo Baltaſaris Alvari vitam complexus eſt, libro. Non

(*h*) *Diſp.* 18. *ſect.* 4.

(*i*) *De Ponte in vitâ Alu.* c. 26. *Alag. in Bibliot. ſoc. Parva vita Latina Suarij.*

Non tamen ſuæ factum ſatis pietati exiſtimavit obſervantiſſimus magnæ Virgini cliens, niſì, quod calamo illi aſtruxerat decus, vocis etiam publicaret præconio. Cujus quoque perſolvendi officii commodam ipſi opportunitatem præbuit indulta anno 1571, Societati facultas, ut è ſuis unum Scholaſticis in publicum Academiæ Salmanticenſis theatrum quotannis educeret, qui Theologicas theſes, cuilibet ad oppugnandum expoſitas, erudito tueretur certamine. Cùm enim Moderatoribus curæ eſſet, loci illius atque muneris poſſeſſionem ingreſſu quàm honeſtiſſimo adire; Suarium ex omnibus progredi in arenam juſſerunt, ut quem ſupra cæteros omnes ingenij doctrinæque comendaret præſtantia. Hunc igitur Deiparæ honori tam ſplendidum ille actum continuò devovendú putavit: ejúſque adeò ſanctitatem, & gloriam omnium conjunctim inferiorum Cœlitum ſanctitati gloriæque excellentem, primárias inter theſes propoſuit. Sed, ut hanc tueri publico in certamine ſententiam liceret; non parum Academiæ cum Doctore ad theſes recognoſcendas delecto privati exhauriendum certaminis fuit. Nempe hic quæſtionis, quam Theologorum ad eam diem nemo attigiſſet,

novi-

novitatem formidans, nec è dignitate Virginis ratus, tam inſigne ipſius privilegium publicæ diſceptationi permitti, illo præſertim propugnante, quem nulla vel ætatis, vel literarij magiſtratûs authoritas ſuſcepto polliceretur oneri parem; imprimendarum ex numero theſium eam expungi imperavit, ceu ſalebroſam plùs nimiò, & ancipitis aleæ pleniſſimam. Nihil imperari poterat, quod Franciſcus acciperet duriùs. Supplicavit Doctori, ne magnæ Dei Matris decora imminutum iret. Se, quod proponeret, ritè priùs ad æſtimationem vocâſſe, & firmis reperiſſe quà teſtimonijs, quà rationibus nixum. Cœleſtis quocirca Patronæ fidentem præſidio nihil metuere, ne, quam ipſâ auſpice ſit ſententiam ingreſſus, non eandem literariâ quavis in pugnâ tueri commodè poſſit. In ſummâ tot preces adhibuit, adeoque ſuam egit acriter cauſam; ut aſſenſum denique extorſerit. Et plenam promiſſis arrogavit mox exitus fidem. Ubi res in concertationem adducta; permagni ad eam evertendam fuerunt præſtantium adverſariorum conatus, ſed major in ſuſtinendâ propugnatoris felicitas: adeóque aſſertum Virginis decus illo nihil in congreſſu nutavit; ut, ſuâ potiùs firmitate luculenter probatâ,

batâ, plurimos exinde ſibi defenſores adjunxerit, & communi jam Doctorum ſententiâ affirmetur.

Nec verò huic Divinæ colendæ Parentis flagrantiſſimo ſtudio, quod tunc publicè exhibuit, non privata reſpondebant tenerrimæ adversùs ipſam pietatis officia. Compoſitum ex ſalutationibus Angelicis ſertum pertexebat quotidie, adeóque eximium habebat & charum; ut, inter dictandum, quæ vel privatim librarij, vel publicè Diſcipuli exciperent; manu illud ſoleret continenter præferre. Quòd ſi aliquando id agenti non nihil memoria hæſitaret; levi, ut obſervatum eſt, capitis motu, invocatiſque IESU, & MARIÆ nominibus, ex illà ſe protinus difficultate explicabat. Quartâ per annum qualibet feriâ, & ſingulis itidem Sabbatis ſeverum in Deiparæ honorem ſibi jejunium indixerat: feſtis verò eidem diebus, præter pridiani auſteritatem jejunij, matutinam rerum cœleſtium commentationem duas ad horas pia inter colloquia extrahebat. Nihil illi in cubiculo penſius ſacrâ ejusdem imagine. Hanc ſibi perpetuò obverſam habere, crebriſque, & amantiſſimis defigere obtutibus: hanc, iter quoties ſuſciperet, ſecum aſportare: huic, ubi ad hoſpitia

ſpitia perveniſſet, è ſinu depromptæ pias preces conciperè. Notata inſuper eſt tum â ſocijs, tum ab amanuenſibus, quorum operâ utebatur, pia illius conſuetudo, ſacram effigiem, ubi perplexioris aliquid difficultatis, & dignus vindice nodus incideret, de genu adorandi, illiúſque dubiâ in re opem poſcendi. Quod cùm feciſſet; votorum fieri extemplò videbatur reus: perſolvendíſque ideo gratijs, ad Patronæ ſe iterum inclinabat benigniſſimæ pedes.

Sed ſi quem juvat tenerrimum amorem planiùs cognoſcere, quo cœleſtem Franciſcus proſequebatur Reginam; quæ ſecundo in tertiam D. Thomæ partem volumine ad ipſam pertinentia eſt complexus, ne gravetur percurrere. Etenim ibi ab intemerato illius conceptu, per omnia, quæ porrò conſequuntur, admirabilis vitæ myſteria, diſputationem deducit: Simúlque de ampliſſimis ejuſdem promeritis, de ſcientiâ, de gratuitis muneribus, de inæſtimabili gloriâ, de cultu ipſi à mortalibus debito, de præpotenti poſtremùm noſtris in cauſis apud filium ſuum patrocinio ſic agit; ut quavis in operis parte, præter ſolidam diſſerendi altitudinem, pius quidam ceu filij ſenſus, ex corde in calamum redundans, eluceat.

ceat. Alias quoque inſertas videre eſt, perquam Divinæ Parenti honorificas, & quas nemo elapſis retro ſæculis in medium quæſtiones protulerat. Neque nos quemquam ex Theologis Suario antiquiorem novimus, ejus qui prærogativas, & actiones minutim adeò exactéque tractaverit. Quod & ipſe in Epiſtola ad Lectores præfatur: integrum negans ſibi eſſe, ſuaviſſimæ tractationem materiæ anguſtioribus ſpatijs includere, & nimium ſubaccuſans hac in parte Theologorum ſilentium.

Poſt aditam, juſſu Præſidum, Patriam, Philoſophiam docet Segobiæ: pérque ſolennes Ordinum gradus ad ſacerdotium evectus, ſpiritualibus Domi rebus præficitur.

CAPUT V.

INterea dum ad metam feſtinat Theologici ſtadij; Gaſpar illius Pater mortalis vitæ curſum abſolvit Granatæ. Quæ jactura ab ipſo quidem per omnimodam cum Divinâ voluntate conſenſionem pacatè fortitérque exce-

excepta eſt: at fratrum rationibus importuna plùs nimiò, & incommoda accidit: ut qui, nondum ſtabile, ac certum vitæ iter ingreſſi, cùm non multis pridem annis ereptam ſibi Matrem luxiſſent; omni ſe ſubitò deſtitutos intuebantur regimine, quatuor inter jam adultas, ſuæque concreditas fidei ſorores. Hæc afflictæ Domûs incommoda Franciſci efflagitabant præſentiam. Quamvis enim nequaquam inter fratres nàtu ille maximus foret; parentis tamen apud eos venerationem obtinebat, & locum: ſuíque dexteritate conſilii fluctuantem amiſſo gubernatore familiam, negotiorum inter æſtus moderari, ac in ſolido poterat ſtatuere. Granatam itaque ſuis â Moderatoribus proficiſci jubetur, invitus ille quidem: cùm, miſsâ ad aratrum manu, timeret retro oculos flectere, éque portu religioſæ quietis medios ſe in fluctus, ac rerum humanarum turbas revocari graviter ferret. Sed charitati nimirum, obedientiæque gerendus mos fuit. His auſpicijs fretus Patriam reviſit: eóque adnitente, brevì omnia, prout res poſcebat, compoſita. Minima ſororum honeſtum in matrimonium elocata: tres reliquæ meliori Sponſo religioſum intra Parthenonem conjunctæ. Ex geminis fratribus (nam tertius

D jam

jam naturæ conceſſerat) qui ortu anteibat, nobilem fœminam, ſuæque cognominem Matris, Antoniam Vaſquiam de Gumiel conjugem duxit; alter, Deo ſuum ad ſamulatum vocanti obſecutus, unà cum Franciſco mox Salmanticam petijt: ínque noſtram Sodalitatem receptus, extremum (uti ſuprà retulimus) diem, Philippinas ad Inſulas navigans, obiit: magno ſui ſocijs deſiderio relicto, quos in ſpem egregij ſucceſsûs præclara hominis virtus erexerat.

Rebus igitur è ſententiâ confectis, cùm ſuum cumulatè videretur jam officium perfunctus; diſceſſum meditabatur ex Patriâ. Sed novam properanti moram objecit Avunculus Petrus Vaſquius, Principis Templi Archidiaconus, ſanctæque fidei Abbas, enixis apud Nepotem precibus inſtans, ut, quod nuper Salmanticæ, Theologicis aſſerendis publicè Theſibus, ſui ſpecimen dederat, optanti quoque Patriæ exhibitum vellet. Nec Franciſco ſeu modeſtè id honoris abnuere, per obfirmatam petentium voluntatem, profuit; ſeu pertinaciùs reluctari, per facilitatem ſuæ indolis, licuit. Peramplo igitur in theatro, quod nobiliſſimi, doctiſſimique Auditores còmpleverant, diſputatio inſtituta: iique conſecuti

ſunt,

ſunt, quos vix ulla verborum amplitudo adæquaverit, circumfuſæ multitudinis plauſus. Archiepiſcopum Granatenſem Petrum Guerrerium ex omnibus retuliſſe ſit ſatìs: qui admodùm delectatus diſputantis ingenio, eum mox amiciſſimo amplexu pectori adſtrinxit, fauſtaque eum apprecatione eſt hortatus, Numinis ut obſequio egregias impenderet, quib9 cumulatus ab eo fuerat, animi dotes: Tum noſtris, non ſine magno verborum honore atque pondere, tantæ ſpei juvenem commendavit: *quandoquidem* (diſertè inquit) *ex ſolidiſſimis unum fulcimentis erit, quæ ullo unquam Eccleſiam ſuſtentaverint ſæculo.* Cui præſagitioni non parum dignitatis conciliat tum eximiæ virtutis opinio, qua illius author latè eſt celebratus; tum honor non vulgaris, quem in ſacrâ Tridentinâ Synodo retulit, cùm eidem magno Chriſtianæ Reipublicæ bono intereſſet.

Nec defuit id temporis Religioſus Vir, authoritate famâque conſpicuus, qui, præ nimio decorandi ſui ordinis ſtudio, ad eum à Societate Suarium traducere anniſus fuerit: ſuam, & Sodalium operam largè pollicitus, ad Principis cujuſpiam Cathedræ obtinendum honorem, unde eniti mox facilè ad nobiles inſulas poſſet, ſuum, & familiæ nomen

 uberiùs

uberiùs illuſtraturas. Sed, qui nunquam ſuorum conatibus ſtudiorum tam humilem propoſuerat metam, & *ſcire, ut ſciretur*, perverſum, cum D. Bernardo, rectæque diſſentaneum rationi ducebat; ſilentio, & oris gravitatate profana invitamenta rejecit, non abſque importuni hortatoris rubore, in religioſi officij ſenſu, atque intelligentiâ immaturam alterius juventam ſuis canis anteſtare intuentis. Atque in hunc ille modum, conſolatus domeſticos, ſolidæque virtutis exemplis in Patriâ diſſeminatis, Salmanticam demum repetijt.

Verſabantur in Salmanticenſi Collegio Socij plures, Sacrorum quidem Canonum, & Legum periti, ſed Philoſophiæ prorſus ignari: quos nec juſto in eâ temporis ſpatio detineri ætas provectior ſuadebat; & aliquid tamen ex eâ compendio delibare in rem videbatur. His itaque dedolandis, & ad nonnullam Philoſophicarum rerum informandis notitiam, deligere Suarium placuit: qui, dum commiſſum ſibi munus ſtrenuè, ac diligenter exequitur; quàm præſtanti ad docendum habitudine præditus foret, planiſſimè aperuit. Ea ſiquidem erat, in colligendo, inſtillandóque Auditoribus quæſtionum ſucco, novi præceptoris ſolertia, & felicitas; ut, quos omnino

rudes ſuam in diſciplinam acceperat, brevi tempore tantùm non Magiſtros effinxerit. Optabilis adeò ſucceſſus Provincialem impulit, ut, præter uſitatum Societatis morem, ab explicandâ pueris Grammaticâ eximeret, qui ad altiores tradendas diſciplinas inſolitam adeò præ ſe facultatem ferebat: quin immò; ut id ætatis juvenem, annos nempe natum non ultra quatuor, & viginti, Philoſophiæ Profeſſorem Academiæ Segobienſi aſſignaret: nonnullis etiam ex noſtrâ Sodalitate præſtantis ingenii Scholaſticis, qui cum reliquâ externorum Auditorum frequentiâ ab eo inibi erudirentur, delectis, Nimiùm quantùm deprecata id honoris eſt Franciſci modeſtia, & ſubmiſſio. Sed imperantis authoritas, & conſtantia potior fuit: qua ille coactus, cùm deſtinatam ſibi conſcendiſſet Cathedram; fecundiſſimo, & quanto aliorum nemo, qui eam antea occupàſſent, auditus eſt indidem plauſu.

Interim verò, cùm idoneam Sacerdotio attigiſſet ætatem; ſacris initiandus quamprimùm eſt viſus, juſſúsque propterea ad ſolennem ſe ritè inaugurationem componere. Quem ipſe eximiâ cum animi geſtientis voluptate nuncium accepit, lætus apprimè, quòd Numini tam intimo nexu conjungi, &

 quo-

quotidianâ cœleſtis ſuavitate convivij explere mentis famem liceret. Sanctiſſimo igitur muneri, quà precibus, quà jejuniis, aliíſque afflictationibus corporis præparare animum ſedulò inſtituit: &, ſacro charactere inſignitus, primam Deo hoſtiam piè caſtéque immolavit anno 1572. die ſalutatæ per Angelum Virgini ſacro: quæ immortalis Patrona clienti fidiſſimo cœli æraria recludere, largóque divinorum chariſmatum imbre viſa eſt illius ſinum complere.

Vix dum beatiſſimis hiſce nuptiis peractis, en â Provinciali mandata afferuntur, quibus novus Myſta Domeſticorum Confeſſarius, & rerum ſpiritualium conſtituebatur Præfectus. Mirum id ſanè, & communi rem librâ expendentibus perabſurdum videri poterat, in frequenti præſertim Collegio, tótq; inter Patres non meritis minùs, ac rerum Divinarum peritiâ, quàm antiquitatis prærogativâ conſpicuos. Nemo tamen offenſus eſt, crudam adhuc ætatem ante omnes haberi, omnibus præfici: nemini ea provincia ſupra noſtri juvenis meritum viſa: quin communis rem approbatio, atque plauſus excepit, gratulantibus ſibi invicem Socijs, quòd ejuſmodi nacti eſſent animorum ſuorum ducem.

Jam

Jam inſignis de Suario jam tum increbuerat ſive apud Moderatores, ſive apud reliquos paſſim opinio: adeóque annorum canitiem pleniſſimè compenſabat præcox in eo virtutis, & prudentiæ maturitas.

Religioſiſſima vitæ ratio ab eo inſtituta Segobiæ, virtutiſque adeò vehemens contentio, ut fræno inhibenda fuerit.

CAPUT VI.

Demandatum, quod diximus, munus acres illius animo ſtimulos addidit, ut abſolutam in ſeſe religioſarum virtutum ideam tum Socijs exhiberet universè omnibus; tum noſtris nominatim Scolaſticis, quos non profanâ magìs, quàm cœleſti excolebat Pbiloſophiâ. Hinc, præter literarias exercitationes, crebrò ab iis conſcientiæ rationem repetere, peccata confitentibus aures dare, & publicè eos, privatímque ad ulteriores hortari progreſſus. Quæ cùm faceret, blandiſſima quædam in verbis, inque vultu eminebat, ceu materni erga liberos amoris, Suavitas. Contingebat non rarò, eorum quempiam horis parum tempeſtivis moleſtum

ſtum ſtudiorum interpellatorem accedere: quem ſi pius Magiſter, vel minùs benignè accepiſſe, vel dimiſiſſe ſibi viſus fuiſſet maturiùs; revocabat extemplo, precatúsque veniam, patientiſſimas ei rurſus aures, quoad alter factum ſibi ſatìs declararet, præbebat.

Ad colligendam porrò, quæ in quotidianâ ipſius vità elucebat, abſolutionem virtutis, P. Didacum de Ocampo audire ſat fuerit: qui, eo triennium Magiſtro uſus Segobiæ, Concionatorem deinde egit, magnáque noſtris cum celebritate nominis præfuit. En verſum latinè, quod ſuo is in Hiſpanico autographo de Franciſco teſtimonium reliquit *Affirmare poſſum*, „neminem me in omni vitâ, „ſeu noſtrâ è Societate, ſive externorum vi„diſſe, qui validiore pietatis ſenſu me affece„rit, & acriùs ad Numini ſerviendum impu„lerit, exempli ſui vi, caſtigatæque in omni„bus, quæ ageret, ſpecie virtutis: cùm eum „ipſe, quòd inde ad progrediendum in reli„gioſæ vitæ curriculo excitabar, attentè in „primis diligentérque obſervarem. Quam a„gendi rationem vel in relaxationibus animi, „vel inter diſputandum teneret, minutè, ac „ſcrupulosè exploravi; & qvovis in ejuſmodi

rerum

„ rerum articulo imaginem præſeferre vide-
„ batur hominis, vel cum Deo agentis, vel
„ ejus à conſuetudine recenter digreſſi. Ne-
„ que verò aliena unquam procacitas, ipſius in
„ loquendo agendòve moderationem vel
„ tantillum potuit minuere: quod admirati
„ pluries ſunt, qui mecum rei præſentes inte-
„ rerant. In familiari conſuetudine animo vi-
„ debatur eſſe in ſe ipſum reducto: cúmque,
„ inter colloquendum à prandio, juxtà illi ali-
„ quando aſſiderem; animadverti hominem,
„ ſublatis ad cœlum oculis, pias in voces labra
„ agitare: quas ut ſublegerem, aurem propiùs
„ admovi, & illa ex Hymnis Davidicis verba,
„ *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, profe-
„ rentem audivi. Denique toto annorum,
„ quibus unà viximus, ſpatio, nihil mihi un-
„ quam in illius aut dictis, aut factis notan-
„ dum occurrit, quod ſeu leviori noxæ adſcri-
„ bi poſſet, ſeu virtutis ab integritate defi-
„ ceret.

Hæc ſuo ille in autographo: extrema cujus clauſula duûm aliorum Patrum aſtipulatu confirmatur: qui, cùm ex Franciſco itidem Philoſophiam Segobiæ excepiſſent; ſe in ejus vitam oculis animóque ſemper intentos, nihil minoris culpæ, nihil â perfectione alienum de-

 pre-

prehendiſſe unquam, teſtantur: paratóſque ſe addunt, dicti ſui fidem interpoſitâ juris jurandi Religione ſancire. Quò loci rogatos Lectores velim, ſuis ut cum animis reputent, quantum hæc teſtificatio complectatur eximiæ virtutis, quámque temperato, & æquabili ordine ſtatos curſus peragerent illius Horologij rotæ; cujus in pulſibus ne minimi aberrationem momenti fas erat dignoſcere. Qui altè in ſtudia, ceu Suarius, mentem immerſit, ſuam teſtem experientiam habet, quanti opus negotij, & moliminis ſit, tam aſſiduam, abſtruſiſſimis in rebus perveſtigandis, animi contentionem cum tam exactâ domeſticarum cujusquemodi legum cuſtodiâ conjungere: facilè aſſenſurus, duplici ſub hoc jugo ſudantibus duplicis quoque illo Spiritûs præſidio opus eſſe, quo ſe olim Heliſæus roborari poſcebat.

Non tamen latebat Suarium, princeps, & proprium Sacerdotis munus in Divinis vulgo impertiendis myſterijs conſiſtere, juxta celebre Apoſtoli effatum, (i) *ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Parum itaque exiſtimans ſeu Domeſticos tantùm ſpiritualibus præſidijs inſtruere; ſeu ſolas externis Liberales tradere diſciplinas; cum

(i) 1. *ad Corinth.* 4.

cum Collegij ianitore egerat, ut, quisquis peccata per ſacram Homologeſim expiaturus acceſſiſſet, ſe ſe actutum vocaret: admonitúsque (niſi publici obeundi tunc muneris detineret neceſſitas) omnibus, quæ inter manus verſarentur, poſthabitis, accurrebat ad hominem, cujuscunq; ille loci atque ordinis, locuples, inops, generoſus, ignobilis foret. Neque enim germana Viri charitas hæc norat perſonarum diſcrimina, aut aliud in hominibus, præter animas, reſpiciebat, pari omnes Divini ſanguinis pretio redemptas. Jam verò Dominicis, feſtíſque alijs diebus, cùm noſtrorum Confeſſiones primo manè excepiſſet; vel neceſſariæ ac tempeſtivæ quietis impatiens, viatorio baculo arrepto, in ruſticum quempiam pagum, unâ alteráque leucâ, vel eo ampliùs Segobiâ diſtantem itabat. Tum illic, habendâ concione, Chriſtianâ doctrinâ explicandâ, ſacramentis rite adminiſtrandis, aliiſque Apoſtolico dignis Viro miniſteriis obeundis, diem extrahebat penè ad ſolis occàſum: quo demum tempore remigrabat in Urbem, nonnunquam omnino jejunus, nec alio paſtus cibatu, præter eum, quem humanæ Reparator ſalutis ſe appetere ſignificavit, cùm diceret,

meus

(*k*) *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.*

Accidit fortè, ut in uno ex hiſce pagis neſcio quis gravi oppreſſus morbo decumberet: nec ullus Sacerdotum indidem loci de ſuis ei confitenti criminibus, auderet operam dare, peſtiferæ contagionis metu omnes arcente. At non & Suarium is terror prohibuit. Re compertâ, ad ægrum è veſtigio advolavit, ſui ſecurus diſcriminis: nec priùs ab illius latere abſceſſit; quàm Chriſtiano ritu expiatum à noxis, & Divinis confirmatum ſolatiis relinqueret. Cúmque nonnemo tantum ſui capitis miraretur neglectum; mutuâ & ipſe admiratione commotus, perinde quaſi, reſpondit, ſempiterna hujus animæ ſalus non innumeris tantis temporariæ mei corporis incolumitati antecellat. Sed, qui Suarium, orbis terrarum Magiſtrum, non paucorum duntaxat agreſtium, & rudium inſtitutorem paraverat, Deus; ſuo illum ardori, ut cùm maximè indulgentem, cohibitum voluit. Concionem habuerat de more, & dicendi contentio largum toto ex corpore ſudorem expreſſerat; cúmque jam in veſperam inclinaret dies; maturandus reditus fuit, cœlo interim ventoſo,

(*k*) *Ioann.* 4.

toſo, ac pergelido: cujus aſpiratio, per apertos ſe cutis meatus inſinuans, vehementem catarrhum excivit, pectus graviter preſſit, nervóſque acri ſenſu doloris affecit. Inde igitur de imbecillâ ipſius valetudine Moderatores admoniti, qua par erat, ſibi curâ ſervandam tanti Viri ſalutem duxerunt, próque imperio edixere, ne ſacrarum id ultrà frequentaret expeditionum genus: cùm ſatìs cæteroqui laboris ſuum illi geminum, tradendæ Philoſophiæ, & ſpiritualis domeſticæ præfecturæ, munus imponeret: nec, quæ ipſe ultro additum onera ibat, vel ſuæ ferrent vires; vel ab eo Numen requireret.

Novitatis præter modum in doctrinis quæſitæ inſimulatur. Theologiæ Profeſſorem Abulæ, Segobiæ, & Valliſoleti agit: heroicæque patientiæ ſpecimen præbet.

CAPUT VII.

HAc Majorum denunciatione acceptâ, Apoſtolici ſe illius miniſterij celſitudine indignum exiſtimans, ſuum religioſiſſimus Vir in conclave ſeceſſit, privatoque

tóque ibi ſtudio, Diſcipulorum inſtitutioni, ac Divinæ conſuetudini omnes animi curas, & vires impendit. Nec prætereundum hìc reor, celebre illud *De opere ſex dierum* volumen, ubi univerſitatis procreatio tantâ cum eruditione doctrinâque explicatur, ut veterani conſummatíque inter ſtudia Doctoris partus exiſtimari procul dubio poſſit; ab eo jam tum Segobiæ Philoſophiam prælegente, nec vigeſimum ſextum ætatis ſuæ annum egreſſo fuiſſe conſcriptum. Sed hoſtis Tartareus, quem ſolicitum, ínque metu habebant tot collata Suario divinitus munera; ſuis illum ſibi armis invadendum deſumpſit. Fieri minimè poterat; robuſtiſſimum ut illud, & volucre ingenium pervulgato communíque, aliorum per veſtigia, incederet tramite, nec ad nova excogitanda ſubinde argumenta, novâſque inſtituendas quæſtiones ulteriùs procurreret, & jam plura, quæ ab alijs recipiebantur, oppugnaret principia; plura jam, quæ priorum inveſtigationem effugerant, comentando erueret, atq; in medio proponeret. Rumorum hinc ſemina, & ſuſpicionum materies: tantíque noſtros inter homines Valliſoleti, Compluti, Salmanticæ, & alias per Hiſpaniæ principes Academias motus exciti; ut doctiſſimi ex ijs altiorum

rum

rum literarum Magiſtri unanimi conſenſione Provincialem monuerint, Suarium, à tritâ Doctoribus viâ liberiùs recedentem, juſtas metuendi cauſas præbere, ne & plurium ea propter irritetur Scholarum offenſio; & gravibus turbis moleſtiiſque implicetur Societas: cui ſatius multò futurum ſit, Profeſſore uno in præſens carere; quàm deinde (quod ea cœpta minitentur) Profeſſoribus unà, & Cathedris exui. Provincialis, minimè negligendam rem arbitratus, Segobiam primo quoque tempore accedit: juſsiſque lucubrationibus Suarij deſcribi, earum exempla ijsdem, à quibus incuſatæ fuerant, Patribus dividit: ut, re per otium ſuis momentis perpensâ, ſuum deinde ferant judicium.

Neminem latet, vel ſanctiſſimos inter Viros controverſias nonnunquam ſuboriri, & ſententiarum diſſidia. Magnus certè Gentium Doctor ſuper circumciſionis uſu Apoſtolorum ſe Principi profitetur (*l*) *In faciem reſtitiſſe, quia reprehenſibilis erat.* Nec mirum id in mortalibus, cùm, vel pacatiſſimam Beatarum mentium conſenſionem ab hujusmodi certaminibus haud prorſus vacare, Sacrarum ille in literarum monumentis Angelus doceat,

in

(*l*) *Ad Gal.* 2.

in hæc verba Danielem affatus. (*m*) *Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & uno Diebus: & ecce Michaël, unus de Principibus primis, venit in adjutorium meum.* Et hoc ſanè ad exemplum videtur fuiſſe, quæ adversùs Suarium domeſtica id temporis contentio deſævijt. Nempe omnes, quibus illius cauſæ cognoſcendæ datum fuerat negotium, in eandem planè conſpirârunt ſententiam: Ingenium illud fræno coërcendum videri, cùm nota præter ſpatia immodico abreptum ardore exiliret, ipsíſque adeò ſub incœpti cursûs carceribus nova jam tentaret vada, nil dubitans, Angelico in Doctore explicando, celeberrimorum Interpretum ſententiæ adverſari. Obſtruendum maturè aditum eſſe incommodis, qui timeri poſſent, eventibus; præſertim cùm eâ tempeſtate Societatis opiniones pluribus in Academiis cenſoriam vocarentur ad trutinam, nec prudentia ſuaderet, oleum flammis addere, ſuâ ſatìs ſpontè bacchantibus. Hæc omnium communis mens Iudicum fuit: hanc ſcripto conſignatam Provinciæ Moderatori obtulere: hanc ille accerſito coram Suario, tot ac talium auctoritate Virorum commotus, aperuit. Reſponſum exporrectâ fronte ab integerrimo Viro:

(*m*) *Dan.* 10.

Viro: Divino habere ſe Numini gratias, quòd nihil unquam ingenij oſtentandi ergo docuiſſet, id ſolummodò ſpectans, quæſitam ut veritatem ex animi ſui ſententiâ aperiret. Cæterùm, quem olim, Societatem ingrediens, animum attuliſſet, quævis promiſcuè ad miniſteria paratum; eundem ſibi & in præſentiâ conſtare. Uterentur, qui ſibi Dei loco præerant, omnimodâ libertate. Se aptum uſquequaque ad omnes eorum nutus futurum, quos pro certiſſimâ agendi, uolendíque ſibi haberet propoſitos regulâ. Tam syncera ſubmiſſio quavis defenſione luculentiùs illius approbavit cauſam. Inde ſiquidem Provincialis Divini argumentum ſpiritûs ducens, inque Hominis amplexum effuſus, ceu quædam futurorum præſenſio mentem afflaret, *Perge*, inquit, *demandatâ in docendi provinciâ, eámque alios, & alios deinceps in annos geras: nec de Numinis ope tuis aſpiraturâ conatibus dubites, illius quando gloriæ tam ex animo ſtudes*. Sic ille ad Suarium. Reliquos verò, qui ei litem intenderant, vacuos à metu eſſe juſſit: Illius quippe Doctrinam nihil detrimenti, quin decoris famæque permultum Societati allaturam. Quæ quàm ex vero prænunciata tunc fuerint; nemo unus eſt, quin meridianâ jam luce clariùs perſpiciat.

Hinc porrò, cùm noſtro in Abulenſi Collegio nova diſciplinarum conſtituenda Univerſitas foret; quò auſpicatiora illius eſſent initia, ad Theologicas ibi ſcholas habendas primum deſtinare libuit Suarium, qui Philoſophiæ docendæ ſpatia jam Segobiæ fuerat emenſus. Novam itaque aggreſſus provinciam, eximiâ doctrinæ ſuæ luce, & ſplendoris plurimum attulit loco, & conceptarum, de quibus diximus, ſuſpicionum umbras non minimam partem diſcuſſit: cùm Theologicæ illius commentationes, quantùm præ ſe acuminis, & ſubtilitatis ferebant; tam ſolido authoritatis, & rationum fundamento innixæ apparerent. Sed Abulenſi Vrbi ipſamet obfuit ſui Doctoris præſtantia. Manante ſcilicet latiùs illius nominis famâ, ampliora eum ſibi theatra certatim inſtituerunt depoſcere. Primáque poſt Abulam ſors Segobiæ obtigit: quo loci etſi plures expertus non ita pridem, ut vidimus, adverſarios fuerat; ab ijs tamen ipſis, priſtinum jam errorem dedoctis, Theologicam ad cathedram ibi obtinendam magno, nec irrito precum ambitu eſt expetitus. Eò igitur, quinto poſt ſeptuageſimum ſexti decimi ſæculi anno, pro jucundâ, quam diſcedens reliquerat, ſui recordatione, acceptiſſimus rediit. Quanquàm neque illi urbi tanto diu

ſrui Viro permiſſum eſt, Valliſoletanam nempe ad Academiam poſt non longum inde tempus traducto, quæ præclarum efflagitabat, ſuæque parem tuendæ dignitati Magiſtrum.

Hìc Deiparæ honori, pro antiquo adversùs Patronam meritiſſimam ſtudio, velificans, quam olim diſcipulus, de ipſius meritorum, & gloriæ præſtantiâ, reliquos Univerſos (ſuo tantùm excepto filio) Cœli cives transgreſsâ, publicè opinionem defenderat; Theologiæ jam Prælector majori cum authoritate vulgavit. Tuendum prætereà illius intemeratum conceptum ſuſcepit, eoque ſuper argumento, inſigni mox cum animi ardore, profeſſam tractationem inſtituit in ſecundo ad tertiam D. Thomæ partem volumine. Dignúmque obſervatu videtur, eum inter primos è Noſtris fuiſſe, qui tam celebri de Myſterio ſcribere aggreſſi fuerint: cujus Religio, atque cultus magìs ex eo tempore magíſque invaleſcere, & propagari cœpit.

Et hæc quidem Doctrinæ, Pietatíſque argumenta. Quod ſequitur, admirabilem Viri patientiam exhibuit. Valliſoletum fortè obiens in duos è vulgo homines incidit, quos jurgia, & mutuus furor ad conſerendas iam jam manus urgebant. Temperare ſibi minimè

 potuit,

potuit, quin eos illico adiret, concordiæ ſequeſter, appoſitâque oratione ſævientium iracundiam conaretur leniré. Sed cæca, & amentiæ ſimilis rabies uſque adeò præoccupatas efferaverat mentes; eorum ut alter, Adverſario relicto, in Pacis authorem conceptum impotenti animo virus effuderit, vibratámque compreſſis in pugnum digitis manum illius ori validiſſimè impegerit: unde obtuſum graviter caput, fœdus tumor in facie, os ſanguine impletum. Tam atrox, repentina, & palmaris injuria Suarium de conſtantiæ ſuæ gradu deiicere haud potuit, hoſtili inſultu majorem, & eam in tranquillitatis ſpeciem compoſitum, ut nullam ſibi vim illatam probare intuentibus poſſet. At virtutis rariſſimæ exemplum percuſſoris immanitati leniendæ ſat fuit, eúmque pudore, ac pœnitentiâ confuſum, ſupplicis ritu, ad læſi pedes Sacerdotis proſtravit, qui veniam rogatus, placido id tantùm atque hilari vultu reſpondit, *mutuam vos inter, o Amici, bonâ fide neceſſitudinem colite, Deique offensâ abſtinete, meam nihil vicem ſoliciti, ut qui nullo, vel tantuli momenti malo fuerim affectus.* Tum trepidanti ſocio, urgentíque, ut Domum maturaret reverti, opportuno inflictam plagam levaturus fomento,

to, *Ne te, inquit, Chariſſime frater perturbet*, quod patior. Remedium mali è Cœlo expectan-
„ dum: ídque adeò erit, Divina ut bonitas
„ pauxillulum hoc â me illius gratiâ incom-
„ modi acceptum, *via & favens dignetur reſpicere*: ſublatíſque mox in Cœlum oculis addidit: *Utinam colaphis, atque pugnis* contuſus, & alio
„ quovis contumeliarum genere affectus,
„ unam modò ſupremi optimíque Domini of-
„ fenſam prohibeam.

Quæ cùm diceret, eductum Strophiolum oris parti, quæ icta fuerat, admovit, nullóque præterea ſe læſum indicio teſtatus, ad Collegium revertit. Hìc re à Socio vulgatâ, indignè omnes, quod acciderat, ferre, multíque ad opem ſuppeditandam accurrere. Sed eâ opus nil erat. Lineo tegmine amoto, procul priſtinus tumor, nullum prorſus immanis plagæ veſtigium, syncera uſquequaque omnia, & citra læſionis ſpeciem viſa: ut omnes, qui aderant, prodigioſo rem muneri adſcriberent, & ad ſolvendas verterentur Numini gratias: eventu comprobatum intuiti, quod Pater, de auxilio cœlitus exſpectando, prædixerat.

Poſtremò non exiguum illius meritum Valliſoleti fuit, Ludovicum de Ponte Virum

partâ egregijs tum virtutibus, tum voluminibus famâ uſque adeò percelebrem, Societati adjunxiſſe. Nempe hic, cùm Theologiam tradenti Franciſco operam Juvenis daret; Magiſtri Pietatem, modeſtiam, & reliquarum veluti concentionem quandam virtutum miratus, noſtri ſimul Inſtituti amplectendi conſilium ſuſcepit: admiſsúsque inter Socios, poſt Tyrocinium peractum, eundem iteratò Præceptorem audivit: duplici nomine Suario debitus, cujus & laudatiſſimis exemplis ſanctiorem ad vitam adductus, & doctiſſimis prælectionibus in divinâ excultus ſcientiâ fuit: adeò cæteroqui ad eam ingenio factus; ut ipſemet Magiſter ſubtiliſſima quæſtionum cum eo privatim communicaret, multúmq; ſe ex diſcipuli congreſſu haurire uberioris doctrinæ (verène, an per modeſtiam) dictitaret.

Novi adversùs illius Doctrinam tumultus: quorum per occaſionem ad Romani Collegij Cathedram evehitur, magnáque ibi Procerum exiſtimatione & gratiâ floret.

CAPUT VIII.

SEcundo jam curſu vela facere, & plenam in ſtudijs poſt veteres turbas, nactus

tran-

tranquillitatem videbatur Suarius. Cùm alij ex inopinato rumorum venti, alia offuſarum formidinum nubes, & ſimilis priori tempeſtas ſævire. Ignotis ſubinde novarum commentationum repertis ex feraciſſimâ illâ mente erumpentibus, cauta nimis offendebantur ingenia: neve in perniciosâm luxuriem, fœtúsque, ſi minùs monſtroſos & abortivos, eóque Familiæ pudendos, & graves inſolita degeneraret fœcunditas, anxio ſecum timore verſabant. Obſcuris agitatæ ſermonibus, multorúmque per ora circumlatæ ſuſpiciones Provincialis tandem aures pulsârunt: Visúmque ex providi Rectoris officio eſt, vel timere, quod tam multi timerent; vel ſaltèm, ne timeri quid poſſet, conſulere. Omnia quocirca Suarij ſcripta afferri ſibi imperat, & primoribus per Provinciam Magiſtris expendenda committit. Singulis ad examen diligenter vocatis, reſpondent uno ore univerſi, multa ibi quidem novitatis ſpeciem præferre, nihil tamen non tutum; nihil, quod ſolidæ rationis fundamento careat, ſânæque ad Theologiæ normam non penitùs congruat. Procul itaque offenſionum materiam: & ſolas authori laudes deberi. Lætus id iudicij Provincialis accepit: ne quid tamen ad omnimodam ſecu-

 ritatem

ritatem reliqui faceret; Everardi Mercuriani, qui univerſam tum Societatem moderabatur, arbitrio cognoſcendam, ultimóque diudicandam ſubijcere cauſam conſtituit. Tranſmiſſi igitur Romam, qui in ſuſpicionem adducti fuerant, Libelli, pluribúsque à Mercuriano ſeveram ad quæſtionem Judicibus traditi, Claudii etiam Aquavivæ in manus venerunt, Romanæ per id tempus Provinciæ Præfecti: qui è Pontificis aulâ, ubi conſpicua ipſi dignitas, & paratæ ampliſſimorum proceſſuum ſpes, ad noſtram Societatem transgreſſus, eam quintus deinde Generalis Præpoſitus prudentiſſimo, ſaluberrimóque, ad triginta & quatuor annos, adminiſtravit Regimine. Non exigua hunc admiratio, Suarij ſcripta volutantem, inceſſit. Rapiebat eruditionis lectiſſimæ copia, differendi ratio, peracuta ſimul,& ſolida, doctrinæque altitudo pari cum perſpicuitate conjuncta. Quibus, & præſtantium ad hæc Virorum ſuffragijs permotus, liquidò animadvertit, Valliſoletanos Patres, nimiæ lucis fulgore præſtrictos, *trepidaviſſe timore, ubi non erat timor.* Hinc mentem cogitatio ſubijt, ejuſmodi Virum apprimè idoneum futurum ad implendam, vacantem id temporis, Romano in Collegio Theologiæ cathe-

cathedram : cui exquiſitiſſimo conſulendum arbitrabatur delectu, tum noſtræ Juventutis gratiâ, quæ universâ ex Europâ, ad ſinceriſſimæ ſuccum doctrinæ hauriendum, in Urbem allegari conſuevit; tum benigniſſimo ut Societatis Parenti, Romaníque Collegij munificentiſſimo Fundatori, Gregorio XIII. pro ſuis erga illam bonarum artium palæſtrā peramantibus curis, faceret ſatìs. Unica deſiderabatur Mercuriani Generalis aſſenſio: quæ tamen nullo negotio conſecuta eſt. Is etenim hac ſuper re à Claudio aditus, & magnopere conſilium probavit, & ad Suarium ſtatim literas dedit, Romanum maturare iter iubens, quò tempeſtivus ad Kalendas Novembres, redintegrandis apud nos ſtudiis antiquo, & ſolenni ritu dicatas, adeſſet. Nec ulla ſervantiſſimum Religioſi obſequij Virum mora detinuit. Valliſoletanam Academiam, ubi ferè quadriennium exegerat, confeſtim reliquit, & ſub ipſa ſextilis menſis initia, fervidiſſimo cum alibi, tum in Hiſpaniâ præſertim, anni æſtu, ſe itineri dedit, omnibus infirmæ valetudinis detrimentis periculíſque animosè contemptis, & ſui Præſidis imperio poſthabitis.

Suſceptum obebientiæ auſpicijs iter me-

 nio,

moranda in decurſu religioſæ etiam demiſſionis nobilitârunt veſtigia. Appulerat veſpertinus ad quoddam Societatis domicilium, ubi ſigno cœnandi jam edito , neminem caſu adeſſe contigit, qui culinæ elvendis vaſis operam daret. A Tyrone, penes quem rei cura erat, Miniſter admonitus, in quemcunque ex domeſticis primum incideret, eum ut ſuo nomine ad id munus obeundum acciret, præcepit. Res ita tulit, primus ut omnium redeunti à Miniſtro Suarius occurreret: qui, audito, quid alter in mandatis haberet, etſi feſſus de viâ, miniméque ignarus aliam imperantis voluntatem fuiſſe; ſordidi tamen ad illius miniſterij labores operam, atque manus promptiſſimè contulit. Totam interea Miniſter anxiè perluſtrabat Domum, deducendum ad menſam novum hoſpitem quærens. Cùm ecce tandem, fortuitò culinam ingreſſus, impoſitum ſibi penſum pacatè hilaritérque accurantem deprehendit. Diſpares hìc utriusque affectus. Perturbato alter inopinum ad ſpectaculum vultu, veniam orare, excuſare factum, cæcam in Tyronis ſimplicitatem culpam conijcere: contrà verò ſerenâ alter fronte, nihil ſibi præter profeſſionem ſuam demandatum reponere, cœptúmque, ut abſolvere opus permit-

permitteretur, rogare. Certandum ſanè Miniſtro fuit: nec, niſì amicâ vi coactus, inde hoſpes potuit revelli.

Romam demum ſeptuageſimo octavo ſupra ſeſqui milleſimum anno jam octobrem ingreſſo pervenit. Et primò ægrè ſui fidem faciebat, ætatem ſpectantibus, nondum alterum à trigeſimo annum egreſſam. At ſimul audiri, profundæque cœpit theſauros ſapientiæ in medium depromere; communi ſuffragio, famam, quæ de magnis cæteròqui majora nunciare gaudet, non æquatam ab eo ſolùm, ſed & longè victam fuiſſe, conſtitit. Ipſe Gregorius XIII ſupremus ſacrorum Antiſtes, nequaquam alienum à Pontificiâ Majeſtate eſſe duxit, ſi primam tanti Viri prælectionem ſplendidiſſimo ſuo acceſſu honeſtaret. Quod ab eo benignitatis rariſſimæ exhibitum ſpecimen, in Eccleſiaſtico Urbium, atque Eccleſiarum Hiſpaniæ Theatro, Gil Gonralus de Avilâ Catholicorum Hiſtoriographus Regum commemorat, ſeque ipſum celeberrimo illi ſpectaculo præſentem adfuiſſe teſtatur.

Tam inuſitata Pontificij ſignificatio favoris non minimum valuit ad conciliandam recenti Magiſtro authoritatem, & nominis famam. Magnus inde Auditorum concurſus,

quin

qùin & plures Romanâ ex aulâ nobiles Viri illius amicitiam ambire: ad quam expetendam aſtringendámque, præter hominis ſingularem Doctrinam, ſat validum per ſeſe illicium erat ipſa morum facilitas, agendíque ratio ad omnem modeſtiam, & comitatem egregiè inſtituta. Tametſi ille, quo erat latendi ſtudio, ſpecioſas id genus amicitias, & Procerum inviſentium affatus omni ope conabatur deſugere: Literarum ſtudijs, Divinæque conſvetudini, quos circa ceu geminos polos omnes volvebantur illius animi curæ, totum uſquequaque ſe optans impendere; ſolitúsque adeò profiteri, præter Deum, â quo fuiſſet conditus, &, quos ipſe condidiſſet, libros, nihil ſe ſui uſquam agnoſcere.

Septem annos Romana illum exedra Prælectorem habuit: quo tempore ad ſolennem Votorum quatuor Profeſſionem, ſupremum inter nos gradum, nec,nisì probatis virtute, doctrináque Viris, patentem promotus eſt. Quamvis alienus error, ſuúmq; Silentium vix non hujusmodi eum honore fraudaverint. Cùm enim deſtinati ſibi muneris nuncium Valliſoleti accepiſſet, illóque necdum capeſſito Romam inde fuiſſet digreſſus,exiſtimantibus aliis, jam rem in Hiſpaniâ peractam, ſolidum

dum biennium ſuorum illâ caruit meritorum notâ, tacitus, & per modeſtiam diſſimulans: quoad, animadverſo neſcio queis indicijs errore, præciſa diuturnior mora, & legitimo demum ritu uſurpato, Profeſſorum in ordinem tranſijt: magnum inde hauriens jucunditatis ſynceriſſimæ fructum, non quòd exigua illa titillaret animum dignitatis humaníque honoris acceſſio; ſed quòd Societatis corpori penitiùs inhærere, & Cruci, quam toto complexus animo fuerat, alijs, atque aliis quaſi clavis geſtiret validiùs affigi.

Locus hìc videtur exigere, ut nonnullos præſtantium Auditorum commemorem, qui Theologicas ex eo Romæ diſciplinas hauſerunt. Hos inter recenſendus meritiſſimò venit Mutius Vitelleſcus, qui ad ſupremam Societatis Præfecturam evectus, tam egregij inſtitutionem Magiſtri ſibi in gloriâ ponebat. Nec prætereundi ſeu Didacus Gordonus, qui, præter eruditos Hiſtoriæ, ac moralis Theologiæ in lucem editos fœtus, Chriſtianiſſimo Regi Ludovico XIII. à ſacris confeſſionibus fuit; ſive Leonardus Leſſius, vitâ neſcias, an Doctrinâ excellentior, utriuſque certè gloriâ in paucis conſpicuus.

Longiùs

Longiùs multò Romanum ſibi Collegium prorogari voluiſſet præſtantiſſimi Doctoris uſuram. Sed valetudo obſtitit Romano à Cœlo infeſta, quod, ſpiſſum atque humens, moleſto pituitæ defluentis imbre gravabat hominis pectus. Nec ille quod in ſe erat experiri remediorum omiſerat, meridiano ſibi præciſo cibatu, & omnimodâ uſque ad veſperam inediâ productâ. Sed hujuſmodi in victu ſeveritas ad roborandum quidem interioris habitum hominis valuit, minuendóſque, qui capiti, cum incommodo ſtudiorum, offunderentur, vapores: cæterùm invaletudinis originem atque cauſam non ſuſtulit: adeò ut major in dies virium debilitatio, gliſcénsque catarrhi ſævientis proluvies Claudium Aquavivam, qui demortuo Everardo Societatis in gubernatione fuerat ſuffectus, non mediocri ſanè affecerint curà. Singulari hic benevolentiâ complectebatur Suarium, ut qui princeps author illius Romam evocandi fuiſſet. Quapropter, etiamſi amiciſſimum hominem, cuiuſque conſilio ad graviſſimas publicæ rei deliberationes utebatur, ſuo à latere avelli ferebat ægerrimè; medicorum tamen auditis ſententijs, paſſus denique eſt, ad natale ut Hiſpaniæ cœlum, quod ipſius valetudini

dini commodius videbatur futurum, rediret: ſatius exiſtimans, valentem procul, quàm penes ſe malè affectum habere.

Complutum, Theologiam prælecturus mittitur. Suorum ibi editionem voluminum inchoat: mox traductus Salmanticam, publico Academiæ occurſu excipitur.

CAPUT IX.

THeologiam Compluti profitebatur Gabriel Vaſquius. Hunc Romam evocandum Claudius putavit; illius munere in Suarium tranſlato. Sic quippe, commutatis inter Doctores præſtantiſſimos cathedris, repenſum cumulatè iri utriuſque partis jacturam: & Suario, quàm qui maximè, idoneo ad implendum apud Complutenſes Vasquij locum; & hoc Suarij in Urbe vices pari cum dignitate excepturo. Magnum igitur ſui Romæ deſiderium relinquens, in Hiſpaniam Franciſcus revertit, anno Salutis 1585. duodequadrageſimum ipſe ætatis tunc agens: tantóque Complutenſis Academia tum advenientem complexa, tum docentem proſecuta

eſt

eſt favore, atque plauſu ; ut vix quiſquam unus religioſa extra ſepta degentium, ſeu Scoti, ſeu Doctoris Angelici, alterius ſeu principis Magiſtri ſectator, Theologiæ inibi operam daret; quin ad eum audiendum frequens confluerer. Nec antelucanæ per hyemem ſcholæ ſuâ carebant celebritate, ſed cum laternis undique accurrebatur. Quæ verò dictaret, tantam in cæteris omnibus per Hiſpaniam Academiis ſui cupiditatem exciverant; ut centenis pluries in ſingulos annos ſcutatis eorum deſcriptio conſtaret.

Paucis elapſis, ex quo Complutum attigerat, menſibus ; ſuas aggreſſus eſt doctiſſimas Lucubrationes typis committere, primúmque in tertiam D. Thomæ partem edidit librum : qui ſacrum aſſumptæ â Divino verbo Humanitatis myſterium, unionem Hypoſtaticam, ſcientiam, Gratiam, Libertatem, merita, cæteráſque Dei Hominis proprietates complectitur. Hóc opus Salmanticæ impreſſum anno 1589. famam illico, & plauſum obtinuit, tum ingenij ab acumine, tum ab eruditionis multiplici copiâ: quæ poſterior laus Suarij propria videri quodammodo poteſt: cùm ipſe primus tam crebris Divinorum codicum, Conciliorúmque, & Patrum

trum teſtimoniis Theologicas quæſtiones locupletare inſtituerit: immenſo in id ſtudio collato, Divinæ ut molem ſcientiæ non futilium commentationum arenis, ſed perquàm ſolidis idoneæ authoritatis fundamentis imponeret, ad illius normam, de quo in Eccleſiaſtico habetur, (*a*) *ſapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit.*

Non tamen exiguo certamine ad vincendam opus fuit hominis ſingularem modeſtiam: quæ, unà plaudentis ſibi famæ præconiis diſſentiens, nobiliſſimos ingenii ſui partus, ceu publicâ indignos luce, tenebris ſilentióque damnaverat. Et caruiſſet profectò literaria Reſpublica pretioſis adeò laboribus, niſì, poſt Amicorum preces, atque hortatus nequicquam adhibitos, Moderatorum imperio adactus fuiſſet communem in uſum depromere, quam miris adeò modis divinitus ſcientiam acceperat. Tunc enim, tergiverſandi jam minimè liber, manum denique operi admovit. Sed operæ pretium fuerit geminam, quam primò huic volumini áddidit, Præfationem perpendere. Nihil ſibi diligentiæ omiſſum teſtatur in veritate indagandà, quam, ceu primarium ſuorum ſtudiorum ſcopum, propoſitam

(*a*) *Cap.* 39.

ante oculos ſemper habuerit, humanæ illecebris gloriæ poſthabitis. Pollicetur, inter opinionum diſcrepantium incerta, imitaturum ſe Magiſtri ſui D. Thomæ prudentiam, ſententiis iis præſerendis, quæ pietati maximè ſaveant, quaſque Doctrinæ gravitas, & vetuſtatis prærogativa in primis commendet: nec minùs ejuſdem Angelici Doctoris modeſtiæ, in promendis, oppugnandiſque Authorum placitis memorem fore: ita ut nemo vel debitæ laudis teſtimonio ſraudetur; vel mordaci perſtrictum cenſurâ ſe doleat: cum inde non niſi cæca mentis perturbatio arguatur, ſcribentiſque authoritas elevetur ac fides. Hæc porro quàm religiosè impleta ab eo fuerint promiſſa, nemini non Lectorum, rem attentiùs perpendenti, conſtabit. Poſtremam ſanè ad partem quod attinet, uſque eò ſolicitus, ac diligens fuit; ut, primum de Gratiâ editurus volumen, delecto ad illud recognoſcendum cenſori plures literas dederit, etiam atque etiam hominem orans, ſtudiosè accuratéque diſpiceret, num quod ibi verbum imprudenti excidiſſet, unde quiſpiam offendi vel leviter poſſet: dignus propterea, quem Angelus Manriquius Pacis Juliæ Epiſcopus, apprimè decoro Catholicis, atque adeò Religioſis ſcripto-

tribus

ribus titulo, (a) *Modeſtiſſimum Anthorem* vocaverit.

Triennio hinc evoluto, alterum prodiit in tertiam D. Thomæ partem volumen: ubi de ſingularibus Deiparæ meritis, de ſanctiſſimo ejus Sponſo, déque Chriſti Præcurſore agitur: Nec non corporatæ Divinitatis vita omnis, cúmque præviis cruciatibus mors, & conſecuta è tumulo Anaſtaſis in diſputationem vocantur. Nec pronum eſt definire, plúsne illud opus doctrinam authoris, an pietatem commendet: cùm ubique impreſſas exhibeat, quæ ſanctorum Hominum propriæ ſunt, notas, ardens nimirum alienæ ſalutis ſtudium, impenſiſſimámque erga Divina omnia venerationem, pari cum amoris ſenſu conjunctam.

Neque verò, tot inter ſtudiorum labores, & curas, religioſæ minùs perfectioni pius Doctor vacabat, memor, Apoſtolos priùs à cœleſti Magiſtro ſal terræ, deinde lucem mundi appellatos, *quia* (ut in eum locum Joannes Chryſoſtomus addit) *prius eſt bene vivere, quàm bene docere*. Argumento ſint, memoratu digniſſima, quæ ſubjiciam, exempla. Academiæ quidam Salmanticenſis Doctor indecoris eum publicè verbis traduxerat, inſci-

F 2 tiæ

(a) *Lib. 3. contr. 25. cap. 4. n. 28.*

tiæ tenuíſque prudentiæ notatum. Egregiæ fuiſſet virtutis offenſam hujuſmodi à præſtantis ingenii viro per ſilentium tranſmitti, veniâque donari. Sed parum Suario fuit, nisì benevolentiæ inſuper honoríſque illi vicem rependeret. Nactus opportunitatem excurrendi Compluto Salmanticam, ad Doctoris, cujus meminimus, Domum rectà ſe contulit; admiſſúſque, diutinum cum homine produxit colloquium, ſuam illi operam quoſcunque in uſus benigniſſimè exhibens, & tantam præ ſe comitatem, atque obſervantiam ferens; ut alter magnanimæ adeò charitati dederit manus, priorique malevolentiâ damnatâ, diligere jam ex animo cœperit, qui amoris in fomitem vel odiorum irritamenta converteret.

Non abſimile huic edidit ſpecimen, cùm ad oppugnandas invitatus fuiſſet, quæ publicæ diſceptationi proponebantur in religioſo quodam Cœnobio, Theologicas Theſes. Validum ibi, & ſuo dignum ingenio argumentum objecerat, quódque adverſarium, imparem virium, & nequicquam multa tentantem, in anguſtum compelleret. Hinc illius primùm perturbatio, mox ira, & poſtremò, qualis deſperantium eſt, furor, pro victoriâ ultionem habens; quo concitatus fœdiſſima

quæ-

quæque adversùs oppugnatorem, noſtrámque universè Societatem convicia plenis faucibus evomuit. Adeò ut, qui Suarium comitatus fuerat, primarius Complutenſis Academiæ Doctor, vir gravis, & ſacris mox inſulis decoratus, ex theatro ſtomachabundus diſcederet, reliquus verò Auditorum conventus vix non in apertos adversùs hominis petulantiam clamores erumperet. Unus, qui impetebatur, Suarius, nihil demutato â conſuetâ moderatione vultu, detonantis jurgia immotus excepit, & ſoluto demum cœtu, iis protervum oblocutorem digrediens affatus eſt verbis, quibus vix quidquam officioſius uſurpare adversùs Amicorum conjunctiſſimos poſſet.

At non idem, ubi honorificentiùs acciperetur, oris animíque habitus Literaria concertatio habebatur, quíque illi alterà ex parte præerat primarius Magiſter, reſpondendi partibus Diſcipulo in totum relictis, nihil ipſe de ſuo dignabatur adjicere, ſecurum in ſilentium compoſitus, & aſpernanti ſimilis. Sic alium, atque alium ex adverſariis tranſmiſerat, quoad Suarius in arenam deſcendit. Tunc enim, omnino alius, confeſtim aſſurgere, vultu atque geſtu conceptam ex oppugnantis ingenio

admirationem teſtari, nec voci jam parcere, ſed magnificis ſubinde præconiis argumentum, ipſiúsque authorem extollere. Quis crederet? Honoris ea ſpecies modeſtiſſimum virum non modò perturbavit, ſed elinguem penitus reddidit, atque in fugam conjecit. Confuſus atque æſtuans, tanquam in flagitio deprehenſus, aut hoſtilibus circumventus inſidiis, diſputationem abrupit, Laudatorem, ac theatrum deſeruit, medióque è conſeſſu proſiliens, arcanas in latebras, ceu quoddam in pudoris aſylum, ſe abdidit.

Aliàs quoque non raró ſuarum laudum faſtidia coactus eſt pati. Quod ubi eveniret, neque juſtæ rationes effugium permitterent; igneo rubore, inquietâ corporis agitatione manúque, quaſi ad muniendam à pudore faciem, objectâ, quàm ægrè intoleranterque illud acroama ferret, quo plerique adeò delectantur, prodebat. Quid multa? Perturbari neſcium dixiſſes, niſi ex hujuſmodi cauſis; ex quibus tantum capiebat moleſtiæ; ut nulla ei diſſimulandæ gravitas, & moderatio par eſſet. Ne itaque formidoloſiſſimam aleam ſubiret; abſtinere ſe demum à Literariis frequentandis functionibus ſtatuit, niſi quatenus ſui muneris ratio adeſſe imperaret: tanti habens illa-

illarum oblectamento fraudari, minoriſque ſpeciem comitatis præferre; dum longè graviſſimos, minimèque ſibi ferendos verecundiæ cruciatus evaderet. Quin immò, cùm Domo prodeuntem perhonorificè ab obviis ſe excipi, digitorúmque etiam indicio à nonnullis animadvertiſſet ſignari; ne id quidem exiſtimationis obſervantiæque ferens, quolibet ſibi, præterquam neceſſario, in publicum egreſſu interdixit. Uſque adeò vel grave crimen, & quovis vindicandum ſupplicio; vel ingens malum, & nullo non dignum redimi incommodo, famæ celebritatem putabat: perpetuum penè intra carcerem à ſua proinde modeſtiâ concluſus.

Septennium Complutenſi è Cathedrâ fuerat auditus, cùm eam Gabrieli Vaſquio reſtituit, ad Salmanticenſem ipſe juſſus tranſire. Non mediocri hæc Præſidum denunciatio illius animum voluptate perfudit: quemadmodum nec exiguo erga deſtinatum ſibi locum afficiebatur amoris juſtiſſimi ſenſu, memor ſe ibi olim & Divinis prælargè ditatum muneribus, & humanis, quaſcumque teneret, Doctrinis excultum. Juſſum igitur iter, fluente ſalutis anno 1592. arripuit, filio perſimilis, qui, poſt diuturnæ peregrinationis ambages, chariſ-

 ſimæ

ſimæ ad Parentis complexum lætabundus, atque alacer properet. Nec jucunda Salmanticæ minùs viri expectatio: quem ubi jam ſuccedere propiùs compertum; univerſa ilicet Academia, comitantibus ordinatim Præfectosq; ac Profeſſores Diſcipulis, ad Urbis ſe portas effudit, ſplendidiſſimóque ſubeuntē exoepit occurſu: quod communis æſtimationis favoriſque ſpecimen neſcio an alius ibi quiſquam, præter Suarium, mero Doctrinæ propiique meriti nomine, adversùs ſe exhibitum viderit.

Aggreſſus ſcholas habere novus Profeſſor, ſecunda de ſe hominum confirmavit judicia, lectiſſimóque illo tot illuſtrium ingeniorum in cœtu, prodigii penè famam obtinuit. Mira, & frequens, ut cùm maximè, Auditorii celebritas: admirabilior tamen modeſtia, & tranquillitas: cùm neque Salmanticæ, nec locorum alibi, quæ ad Academias convenire ſolet Juventus, ſuo quàmvis ingenio libertatis nimia, frænique impatiens, auſa unquam fuerit, Suario loquente, ſtrepitûs, aut turbamenti quippiam ciere: ſed taciti intentique omnes illius verba, non aliter quàm Oraculi effata, cupidiſſimis exciperent auribus.

Tertium hoc tempore publicatum eſt, quod in tertiam D. Thomæ partem volumen con-

conſcripſerat, de Sacramentis primò universè, tum ſpeciatim de Baptiſmo, de Confirmatione, de Euchariſtiâ, déque ſanctiſſimo agens Divini corporis, atque ſanguinis ſacrificio. Animum quoque Author adjecit emittendis in lucem duobus iis voluminibus, ubi Philoſophia, novas ad quæſtiones, novúmque docendi ordinem revocata, ſub Metaphyſicæ titulo exponitur. Quod celeberrimum opus quanquam abundè commendationis jam habet ex publico literati Orbis plauſu, atque ſtudio: cùm duodecies, eóque ampliùs, per Galliam, Italiam, Germaniam, Belgiúmque pauciſſimos intra annos prælo redditum fuerit; non tamen fraudandum videtur illuſtri ſplendidóque ſuffragio Alexandri VII. magni Sacros inter Præſules nominis, nec literatos inter viros minoris. Solenne illi erat, ſupremum quoque ad ſolium evecto, honorificam ſæpe de Suario mentionem facere: & Joannes Ribanaeria noſtræ Societatis, in Epiſtolâ ad Antonium Deſcamps Hiſpali datâ, ſe refert. Kalendis Octobribus anni 1662. admiſſum ad ſanctiſſimi pedis oſculum, inter alia, quæ Pontifex familiariter ſecum contulerat, hæc etiam illius ex ore accepiſſe: adeò nimirum ſibi juveni Metaphyſicam Suarii arrriſiſſe; ut quadrimeſtri univer-

verſam ſpatio perlectam in compendium redegerit: nec, in evolvendis deinde ejuſdem Theologicis libris, quam erga tam eximium ſcriptorem initio benevolentiam conceperat, quámque de illo præclaram exiſtimationem mente informaverat, ullâ ex parte imminutam fuiſſe. Sed alieno nil opus teſtimonio. Ipſummet Alexandrum ſuo potiùs ore libeat loquentem audire. Etenim cùm anno 1626 Theo logicas Theſes publicè propugnaturus in Patriâ adhuc Juvenis eſſet, eaſque Mutio Vitelleſco Societatis JESU Generali Præpoſito inſcribendas duxiſſet; nuncupatoriâ in Epiſtolâ illud ſibi cauſæ ad id ſuſcipiendum conſilium profitetur fuiſſe, *Quòd* (germana ſunt ejus verba, illo ex monumento deſcripta) *omni mihi Præceptoris voce deſtituto unus præſtò fuerit ſuis in lucem libris editis Franciſcus Suarius, Theologorum hujus ætatis facilè princeps: quem, cùm Philoſophiæ operam darem, ſcriptorem novi acutiſſimum, amavíque, ideò in ipſâ Theologiâ Doctorem ſanè perſpicuum, optimúmque ſum expertus.*

Dela-

Delatum à Regiâ Conimbricēſi Academiâ Principis Theologicæ Cathedræ honorem conſtanti pluries modeſtià deprecatus, Philippi demum Regis authoritate ſubire compellitur.

CAPUT X.

FLorentiſſima inter Chriſtiani Orbis Gymnaſia præcipuum non immeritò ſibi vendicat locum Regia Conimbricenſis Academia, Dionyſii Regis juſſu magnificè erécta, opimis dotata proventibus, Magiſtrorúmque delectu, & Auditorum juxtà numero inſignis, ut quidam appellari poſſe videatur quaſi Europæ Areopagus. Primaria hìc Facultatis Theologicæ Cathedra idoneum anno 1596. deſiderabat Doctorem: cùm literarià donatus fuiſſet jam rude, qui plures eam annos celebri cum plauſu tenuerat, Antonius à S. Dominico è Sacrâ Prædicatorum Familià Magiſter. Coactis ad deliberationem de ſucceſſore eligendo, penes quos reliquæ Cathedræ erant, occurrit extemplo Suarius, tot in publicum editis ingenii monumentis, totque literariis præ-

præfecturis clariſſimus, & omnia penè ad unum in ſe vertit ſuffragia: Adeò ut Gymnaſii Rector Ferdinandus Martinius Maſcarenia, qui Algarbiorum Epiſcopus, pérque Regnum Quæſitor Fidei maximus fuit, de annuendo illi muneri, & Conimbricam allegando Suario, Philippum II. Hiſpaniarum, ac Luſitaniæ Regem communi nomine oraverit. Nota erant Philippo Suarii promerita, ejúſque conſilium magnorum negotiorum in cardine haud ſemel quæſiverat. Eapropter tàm egregii deſignationem Doctoris lætùs ac libens accepit: nec per antiquam conſuetudinem Cathedræ illius competitorum certamini exponendæ moratus, ad Caſtellanæ Viſitatorem Provinciæ in hæc planè verba Literas dedit; „*Princeps Theologiæ Cathedra in Conimbricenſi vacat* „*Gymnaſio. Quèm in uſum cùm paratos à Doctri*„*nâ, neceſſariiſque aliis præſidiis viros ad manum* „*non habeam, & hujuſcemodi ornamenta in Franciſ*„*co Suario Sodalitatis tuæ homine conſpirare non ne*„*ſciam; etiam tibi atque etiam commendo, ut eum* „*prædictam ad occupandam Cathedram mittas, &c.* Quæ mihi verba perpendenti, plurimum ſanè admirationis oboritur de Suarii præſtantiâ, in id gloriæ faſtigium evecti, ut tantus Regnator, nullum ſe in ampliſſimâ ſuâ ditione universâ,

tot-

tótque illuſtribus Academiis habere profiteretur, eâ Doctrinâ, iiſque prærogativis instructum, quas in ipſo agnoſcebat.

Plus tamen fortaſſe admirationis meretur contumaciſſima adversùs tam honorificam electionem viri demiſſio. Ambientium offenſionem, & Societatis invidiam prætexens, Viſitatorem induxit, ut, gratiis officiosè actis à ſuſceptâ Regem ſententiâ conaretur deducere. Cúmque nihil inde immutatus eſſet Principis ſapientiſſimi animus, quin reſpondiſſet, nemini juſtam offenſionis cauſam futuram ex eo munere, quod, extra cujuslibet jura, ſui tantummodo foret arbitrii: ſéque ita rem tranſacturum, nullam ut Societas poſſet noxam metuere: optare quocirca, de Suario deſtinatam ad ſedem jam profecto certiorem quamprimùm ſe fieri: cùm id, inquam, allatum reſponſi fuiſſet; non ideo confeſtim quievit, aut à vado iterum tentando eſt deterritus: ſed, ſuam ipſemet cauſam acturus, Toletum, Hiſpanæ tum aulæ domicilium, contendit, tótque ibi argumentis oppugnare Philippi propoſitum inſtitit; ut is demum, parcendum hominis moleſtiæ arbitratus, priorem Magiſtrum, tametſi jam emeritum, ſuo progredi in literario curriculo juſſerit.

Per-

Perſunctus impendenti diſcrimine videbatur Suarius: ſed comperendinare illud potuit; declinare omnino non potuit. Mortuo paucis pòſt menſibus, cui ampliatum fuerat munus, Magiſtro, exarſere priſtina iterum ſtudia, commiſſúmque ab Academiâ Roderico Lopio, ſuarum in aulâ cauſarum Actori, omni ut ope negotium urgeret. Nec ille ſuis partibus defuit, adeò ut, cùm præcipuas inter detrectandi muneris cauſas, objeciſſet Suarius, valetudinis ſibi vitium obſtare, quo minùs conſuetam ad horam prælegeret; teſtatus quidem ſit, horarum translationem in Gymnaſiis probè compoſitis perquam importunam atque exoſam accidere, nullúmque ipſius extitiſſe unquam Conimbricæ exemplum: tanti tamen Doctoris uſum nullo contrà impendio charum videri: séque adeò communi nomine omnium recipere, neminem unum ex Collegiis futurum, qui de opportuniſſimâ ipſi horâ non libenter concederet. Rex quoque cognitam ejuſmodi Academiæ voluntatem impensè approbavit: comendatóque, ut, quod convenerat, ratum inviolatúmque eſſet, Nõſtrum totâ de re Viſitatorem admonuit, per ſibi fore gratum ſignificans, ſi primo quoqúe tempore ad exitum perduceretur. Quod ubi è ſen-

è ſententiâ confectum, & Suarium, impotem ultrà obluctandi, jam iter adornare intellexit; conceptam inde animi ſui voluptatem Viſitatori per literas declaravit, ad hoc exemplum conſcriptas. „ *Multùm te amo de operâ* „ *præſtitâ*: quam, ubi rationes meæ poſtulaverint, cum à te, tum à Societate jure habeo ſperandam. Franciſco item Suario debitas „ *meo nomine gratias rependes*, *&c.* Huc uſque progreſſa eſt de privato, ac religioſo viro, ſibíque per naſcendi conditionem ſubjecto maximi Principis, exiſtimatio; ut, ambitam nobiliſſimorum votis Profeſſorum Cathedram ab eo non repudiari, ſuum interpretaretur beneficium, eâque ſe homini obſtrictum gratiâ neutiquam dubitaret fateri.

Avulſus itaque Salmanticâ eſt, mœſto ſui deſiderio affectos relinquens tum omnes communiter, tum Noſtros privatim, qui & inclytum in Gymnaſio Doctorem, & vivum, ac ſpirans Domi exemplar virtutum ſibi ereptum dolebant. In itinere divertendum Eboram fuit, Doctoris ut Lauream capeſſeret, quam primarii Conimbricenſis Theologi dignitas neceſſariò exigebat. Et quàmvis per ſtatam Eborenſis Academiæ legem nemini aſpirare ad id decus liceret, niſi, qui privato in examì-

examine pluriſariàm tentatus, aſſerendis præterea dies aliquot publicis theſibus, quamvis ex Angelicæ ſummæ parte deſumptis, ſuam ritè facultatem probâſſet; cùm tamen de Suario ageretur tantæ celebritatis Magiſtro, plúſqueLaureæ addituro ſplendoris,quàm indidem ornamenti reciperet; communi eum legis nexu libuit eximere: rogatúſque ab Academiâ eſt, uſitati ut cujuslibet experimenti loco, Theologicæ duntaxat diſputationi, à ſelecto ex optimis Gymnaſii Diſcipulis habendæ, præeſſet. Oblatum ille munus recepit: &, quam Doctorum Virorum, quotquot Eboræ verſabantur, frequentiam ſui famâ evocaverat; rarâ & ſingulari doctrinæ facilitate in admirationem ſui rapuit: cùm inter argumentorum conflictum, tanquam extra aleam poſitus, & aliud quodammodo agens, precatorium Deiparæ ſertum de more verſaret: tum, ſi quando uſus repoſceret; unico Diſcipulum nutu ad reſpondendum inſtrueret. Sub diſputationis tantummodo finem excitari viſus eſt, ut Suarium depromeret. Argumentum quippe audiens non obvium, nec vulgari difficultate perplexum, quod Chriſtophorus Ægidius Theologiæ inſignis Profeſſor ex adverſo intentabat, Virginis ſerto ad latus repoſito, explicare

care illud ac diluere inſtitit, tantâ cum perſpicuitate altitudinéque Doctrinæ; ut attoniti ſe mutuò reſpectarent, qui aderant. Quanquam non minùs ſtupori omnibus fuit ingenuus hominis candor, & ſyncera demiſſio, cùm poſtremò ad theatrum converſus, ignorare ſe, palàm edixit, quamobrem Caſtellanâ ipſe è Provinciâ Conimbricenſem accitus fuiſſet ad Cathedram, tam egregii cùm Doctores Luſitaniæ ſuppeterent. Nonnulla deindè præfatus verba, quibus, pro receptâ conſuetudine, Lauream poſcebat, illum Jobi ſuam in rem uſurpavit locum, (a) *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtiâ cibi mei ſunt*: Argumentum faſtidii, quo titulorum Illuſtrium ſplendorem ſemper horruerat, moleſtiæque, quam ex amarâ illius neceſſitate in præſentiâ hauriebat. Unde major erga ipſum benevolentia, auctúsque, qui deſpicatui erat, honor.

Doctoris notâ inſignitus, Conimbricam venit, Urbem nobilitate, divitiis, frequentiâ primas inter Luſitaniæ cenſendam. Præter alia Religioſorum Cœnobia virorum, Societas noſtra ex Magnificâ Joannis, Luſitanos inter Reges hoc nomine tertii, Liberalitate Collegium obtinet, cui nullum eorum, quæ

(a) *Job. 6.*

examine plurifariàm tentatus, aſſerendis præterea dies aliquot publicis theſibus, quamvis ex Angelicæ ſummæ parte deſumptis, ſuam ritè facultatem probâſſet; cùm tamen de Suario ageretur tantæ celebritatis Magiſtro, plúſqueLaureæ addituro ſplendoris,quàm indidem ornamenti reciperet; communi eum legis nexu libuit eximere: rogatúſque ab Academiâ eſt, uſitati ut cujuslibet experimenti loco, Theologicæ duntaxat diſputationi, à ſelecto ex optimis Gymnaſii Diſcipulis habendæ, præeſſet. Oblatum ille munus recepit: &, quam Doctorum Virorum, quotquot Eboræ verſabantur, frequentiam ſui famâ evocaverat; rarâ & ſingulari doctrinæ facilitate in admirationem ſui rapuit: cùm inter argumentorum conflictum, tanquam extra aleam poſitus, & aliud quodammodo agens, precatorium Deiparæ ſertum de more verſaret: tum, ſi quando uſus repoſceret; unico Diſcipulum nutu ad reſpondendum inſtrueret. Sub diſputationis tantummodo finem excitari viſus eſt, ut Suarium depromeret. Argumentum quippe audiens non obvium, nec vulgari difficultate perplexum, quod Chriſtophorus Ægidius Theologiæ inſignis Profeſſor ex adverſo intentabat, Virginis ſerto ad latus repoſito, explicare

care illud ac diluere inſtitit, tantâ cum perſpicuitate altitudinéque Doctrinæ; ut attoniti ſe mutuò reſpectarent, qui aderant. Quanquam non minùs ſtupori omnibus fuit ingenuus hominis candor, & ſyncera demiſſio, cùm poſtremò ad theatrum converſus, ignorare ſe, palàm edixit, quamobrem Caſtellanâ ipſe è Provinciâ Conimbricenſem accitus fuiſſet ad Cathedram, tam egregii cùm Doctores Luſitaniæ ſuppeterent. Nonnulla deindè præfatus verba, quibus, pro receptâ conſuetudine, Lauream poſcebat, illum Jobi ſuam in rem uſurpavit locum, (a) *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtiâ cibi mei ſunt*: Argumentum faſtidii, quo titulorum Illuſtrium ſplendorem ſemper horruerat, moleſtiæque, quam ex amarâ illius neceſſitate in præſentiâ hauriebat. Unde major erga ipſum benevolentia, auctúsque, qui deſpicatui erat, honor.

Doctoris notâ inſignitus, Conimbricam venit, Urbem nobilitate, divitiis, frequentiâ primas inter Luſitaniæ cenſendam. Præter alia Religioſorum Cœnobia virorum, Societas noſtra ex Magnificâ Joannis, Luſitanos inter Reges hoc nomine tertii, Liberalitate Collegium obtinet, cui nullum eorum, quæ

(a) *Job. 6.*

alibi incolit, anteferri, fortè etiam comparari meritò poſſit: cùm non minùs ducentena, & vicena numeret capita, ſcholaſticos maximam partem, ac juvenes, qui ad Regni totius, imò & Indiarum, quà orienti, quà oppoſito ſoli ſubjectarum, opportunitates aluntur. Utrisque etenim Evangelicam excolendis ad frugem, nunquam avara Luſitanorum Patrum Charitas fuit vel ſudoris, vel ſanguinis.

Varia Ingenii, Virtutisque Documenta Conimbricæ edit.

CAPUT XI.

QUàm amanti complexu Academia Conimbricenſis Suarium exceperit, ex contentione, qua ut ſibi annueretur, laboraverat, fas eſt argumentum deſumere. Ipſe certè, cui officiorum grata reſponſio cordi ſemper quam maximè fuit; adeò ſe obſtrictum fatebatur Conimbricæ; ut auditus ſit pluries, cùm diceret, ſi vel moderatorum nutu, vel corporis invaletudine eam fortè Cathedram cogeretur relinquere; nunquàm tamen de ſolo vertendo, déque repetendâ Caſtellâ ſe acturum. Sed publicum inter urbis favo-

ſavorem non defuit Doctorum è numero quiſpiam, qui tam ſplendidum ipſi munus collatum iniquiſſimè ferret, invidiæque actus ſtimulis, ad experiendas ſecum literario in certamine ingenii doctrinæque vires eum ultro laceſſeret. Vel nomen ejuſmodi contentionum horrebat Suarius, primas ſemper omnibus cedere aſſuetus. Sed, cùm juſtis de cauſis viſum eſſet moderatoribus, dimicationem non abnui; coactus eſt in arenam ſe dare, innumerâ coram multitudine, ad novum par ſpectandum effuſâ. Collatæ invicem â diſputantibus manus, nullo aliquandiu memorabili ad victoriam eventu: donec argumentum Suarius contorſit, cujus vim nullâ arte, nullíſque conatibus evadere Adverſario licuit: adeò ut ſuiſmet impeditus reſponſis, unico jugulari poſſet Dialecticæ ictu: manifeſtus contradictionis futurus, modò noſter, quod poſttemum è poſitis receptíſque conſequebatur, legitimo, & facili ratiocinationis progreſſu voluiſſet colligere. At ipſe, veteranus licet tot palmarum miles, ſuam quaſi occaſionem minùs agnoſceret, patentem vulneri locum petere omiſit, & liberam alteri ſe tuendi facultatem reliquit: inſtandi tam lentus; ut apud ignaros, quæ germanæ charitatis ſint artes,

tardioris ingenii, atque hebetis intelligentiæ notam ſubierit. Quin ipſe Conimbricenſis Collegii Rector caloris in eo pluſculum deſiderare viſus eſt, rogans deinde, quid ita, dum primum ſui ſpecimen daret; vires pleniùs expromere, & Adverſarii inſolentiam retundere neglexiſſet? ſed reſponſum accepit perfectò ſanctioris vitæ æmulatore digniſſimum: Quia *malo*, inquit, *confundi*, *quàm confundere*.

Progreſſo jam in Majum Anno 1597. legitimum Cathedræ jus capeſſivit: in quam toto vicenûm annorum, ſpatio nihil deſcriptum attulit: quidquid prorſus dictaret, ſolo è memoriæ theſauro depromens, idque adeò expeditè, ac feliciter; ut nulla fortuiti ſtrepitùs avocatio, nulla feriarum intercapedo ei neceſſitatem imponeret prælectionum priora inſpectandi, non ſine auditorum ſtupore, portenti loco celebrantium raram adeò memoriæ ſecuritatem. Et ſanè in controverſiam revocari non poteſt, quin hæc in Suario ad ingenii per eximiam facultatem omnino reſponderit, fideliſſima illius comes, inque ſtudiis miniſtra. Ex tam multis, quos in publicum ipſe prodidit, libris nullum ferè ſuâmet exaraverat manu, ſed typis conſignandos, præſentibus â ſcriptis imparatus, dictabat: adeò ſingula præ

oculis

oculis diſpoſita habens; ut ne verſum quidem in omnibus, quæ vel ipſe conſcriberet, vel ex ejus ore exciperent alii, (quantùm ſciri poteſt) delendum habuerit. Quin affirmabat, ſi aliquod fortè ſuorum intercidiſſet voluminum; non magno ſibi futurum labori, de integro totum contexere, nullâ, quæ momentum faceret, parte præteritâ: conſpectúsque eſt non ſemel, cùm feſtinationis urgeret neceſſitas, Duûm, vel trium etiam eodem tempore Amanuenſium operam exercere, diverſa penitùs, citrà commentarii ſubſidium, ſingulis dictans: quin unquàm (ceu inter ſingulares recenſetur Doctoris Angelici prærogativas) vel ordinem ſcriptionis turbaret; vel rerum diſſimilimarum, toties abruptarum, atque alternatim recurrentium, multiplici varietate confuſus hæreret. Cujus admiranda privilegii ſors uſque adeò hebetes invidiæ oculos ſuo fulgore præſtrinxit; ut deteſtandis magiæ artibus delegata à non nemine fuerit, eâdem prorſus ratione, qua humanæ Aſſertorem ſalutis *in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia* Judaicus olim livor jactaverat. Sed manifeſto ſe prodens in lumine Doctoris religioſiſſimi virtus calumniarum hos fumos ſordidæque malignitatis vapores diſcuſſit, & omnibus, qui ſa-

næ eſſent mentis, tam rarum ut munus Divinæ veriùs largitati acceptum referrent, perſuaſit.

Jam verò, præter Diſcipulorum frequentiam, quantâ nullius antea Doctoris prælectiones celebratas Conimbricenſes meminerant, complures etiam Eccleſiaſtico ex ordine præſtantes ſanè viri, & religioſarum cujuſquemodi familiarum alumni ultroneos ſe illi auditores præbebant: nec quiſquam vel ex præcipuis Doctoribus erat, qui gravioribus in Theologiæ controverſiis pudori duceret ſibi, eum palàm, communem quaſi Magiſtrum, conſulere. Immo tam latè ſe per Orbem porrexerat hominis fama; ut plures, nec ignobiles advenas tum ex Hiſpaniâ, tum ex diſſitis longiùs provinciis, ad eum coram intuendum, & ſalutandum, evocaret Conimbricam: iique mox reduces, Theologiæ oraculum, ſuæque ætatis prodigium in Suario ſibi viſum, celebri paſſim rumore differrent. Accedebant his Epiſcopi, Magiſtratus, omníque ex Europâ Principes, quorum quotidianis conſulebatur undique Epiſtolis: proinde quaſi nullum poſſe tranſigi, videretur gravioris ad conſcientiam momenti negotium, niſì ſuo ipſe adſtipularetur veluti prærogativæ ſuffragio: quo demum

mum perlato, nihil jam cujusquam in animo reſidebat ambiguitatis, & ſcrupuli.

Academicis diſputationibus intererat creber; eáſque non doctrinæ tantùm, & ingenii luce illuſtrabat; ſed ſui pariter ſubmiſſione, eò admirabili magis, quò ſua illum altiùs promerita, & communes plauſus evexerant. Vel hinc capere, ſpecimen libeat. Theologicæ theſes illius â Diſcipulo aſſerebantur, quíque ex adverſo pugnabat Doctor, neſcio quem D. Auguſtini locum ſuam ad confirmandam ſententiam protulerat. Negavit præcisè Suarius, id uſquam ab Auguſtino affirmatum: cúmque alter nihilo minùs in eo aſſeverando Teſtimonio perſtaret; modeſtè conſurgens; „*Quieſcas, ô Domine*, inquit: *mihi quippe, cùm* „*omnia* Doctoris ſanctiſſimi opera, & perlegerim, & memoriâ teneam; certò conſtat, „nuſpiam hoc in ejus monumentis dictum occurrere. Quis hìc culpæ veſtigium deprehenderet? ſed, profectò, ubi ſolis Divini jubar affulget; ne atomi quidem viſum effugiunt: *Bonarúmque* (ut magnus teſtatur Gregorius) *mentium eſt, ibi culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt.* Id ipſum & Suario tunc accidit. Quæ dixerat, apud animum reputans, incuſare ſe graviter cœpit: nec intimum diſſimulabat

 mæro-

mærorem, obductâ fronte inſigniter vultuoſus, ac triſtis: adeo ut familiarium quidam, inſolitam perturbationem admirans. Quid ita anxium, inque luctu haberet, quæſierit. Cui ille, ex imis ſuſpirans præcordiis; „*Nam qui* „*vacuus à mœſtitiâ eſſe poſſim? Audiſtin, quæ* mihi „mane ſummam perimprudentiam exciderint „verba? Nihil equidem arrogantius, & ſtul„tius à me unquam prolatum recordor. Eſto, „Auguſtinum & perlegerim totum, & memo„riter teneam; quid tamen religioſæ humili„tati *cum inani hac jactantiâ?* Sic ille reum ibi ſe agebat: nec Amici, benigniùs ea verba interpretantis, judicio placatus, ad Rectorem adiit, publicam irrogari ſibi pœnam, compenſandæ aliquatenus, quam præbuerat, offenſioni, depoſcens, tam ſerio, atque efficaci dolore; ut non parum negotii, eo in conſolando, Rector habuerit.

Aliud quoque ſcribenti ſe objicit Chriſtianæ demiſſionis, itemque Charitatis exemplum, non perinde obvium, ſi altiùs introſpiciatur, cenſendum; primâ ut fronte cùipiam fortaſſis videbitur. Commodùm è ſcholâ redibat, bene magnâ deducentium auditorum turbâ ſtipatus: cùm à vulgari neſcio, quo homine interpellatur, præſto ut ſibi ſit adversùs

Cau-

Cauponæ ibi proximæ Dominam, durè nimis ſe urgentem, ut, quam ipſi debebat, pecuniam ſine morâ enumeraret. Solvendo in præſentia ſe imparem, non nihil fortaſſe induciarum, illo precatore & ſequeſtro, â mulieris importunitate obtenturum. Aſpernatus facilè alter quiſpiam ejuſdem authoritatis fuiſſet tam humilem cauſam, nec ſuâ profectò è dignitate cenſuiſſet, ad hujuſmodi tricas, atque apinas, eo præſertim temporis, atque loci, procurandas deſcendere. At inanis Decori, humanarúmque opinionum generoſus contemptor, qui in animum jam pridem induxerat, nil abjectum, & pro vili putare, quod inopum tribueretur ſolatio; Cauponam è veſtigio eſt ingreſſus, demandatamque ſibi cauſam tam feliciter peroravit; ut mulier, pro exiguâ, quam poſcebatur, ſolvendi morâ, ipſam etiam ſolutionem, & totum debitori nomen in perpetuum remiſerit.

Quàmvis verò plurimum oneris tum ſuum munus, tum expediendæ conſulentium difficultates imponerent; nulla tamen tot curarum moles vaſtiſſimæ illius mentis capacitatem adeò prorſus implebat; quin privatis adhuc ſtudiis vacaret: fidémque huic rei fecit volumen, *varia Opuſcula Theologica* inſcriptum, quod

quod Regiis Matritenſibus typis Annò 1599. excuſum eſt, mole quidem non maximum, ſed maximis ad numerandum, ſi mira æſtimetur facilitas, in quæſtionibus iis explicandis, quas longè graviſſimas, tunc acriùs intenderat publicatum non ſine magnis Adverſariorum clamoribus Ludovici Molinæ *De concordiâ liberi arbitrii cum Divinâ Gratiâ* percelebre opus. Agitur hìc â Suario de immiſſis Divinitus auxiliis, ac motibus; déque ſupremæ cauſæ cum inferioribus ad earum effecta conſortio: de ſcientiâ, quâ Deus contingentia quæque tam abſoluta, quàm conditionibus vincta, prænoſcit: quid Divinæ efficacitatem gratiæ conſtituat, quóque pacto illius vis, propoſiti eventùs certiſſima, humani cum arbitrii libertate conſentiat. Ad rediviva deinde per pœnitentiam merita diſputatio progreditur: Divinâque in Juſtitiâ, tum virtutibus præmium, tum ſceleribus pœnam reddente, opus deſinit. Huic ritè commendando volumini illud tantùm protuliſſe ſufficiat. ipſummet Clementem VIII. Pontificem Maximum, quò de controverſiis tam arduis penſiculatiùs circumſpectiúsque ferret ſententiam; ea ſibi lectitanda duxiſſe noſtri authoris opuſcula. Quo tempore mirum quiddam eveniſſe traditur.

ditur. (a) Nam, cùm noctu Pontifex cubans id volumen percurreret, legentique ſomnus fortè obrepſiſſet; qui proximè aderat cereus ſuo librum ardore comprehendit: ita tamen, ut non nisì extimum marginem ignis adederet, integris prorſus, nullâque, vel ſyllabâ imminutis, quà exaratæ erant, paginis. Animadverſum id â nobili Hiſpano intimo Pontificis Cubiculario, quem ille, ſumo, & vapore excitatus, igni reſtinguendo advocarat. Nempe hic, dum ſtrenuè opprimere flammam laborat; & rem obſervavit, & Pontifici aperiens, lepidè adjunxit, auſpicatiſſimum id Suarii, ac Jeſuitarum doctrinis ſibi omen videri, cùm eas neque circumfuſus ignis violare auſus eſſet.

Multum moleſtiarum exhaurit ob interpretationem Decreti, quod Clemens VIII. circa pœnitentiæ Sacramentum condiderat.

CAPUT XII.

POſt Opuſculorum, quem diximus, librum, ceu novus fundi uberrimi fructus,

(a) *Gabr. de Henao de ſc. med. Hiſtor. propugn. n. 150.*

ctus, quartum ſuper tertiâ Doctoris Angelici parte, idémque ſeptimum inter Authoris literaria monumenta, volumen in publicum exiit. Hìc ab octogeſimâ tertiâ ad nonageſimam quæſtionem, ubi abruptam D. Thomas ſummam moriens reliquit, illius Doctrina illuſtratur. Supplementi verò ad calcem appoſiti explicationem Suarius omittit: ſuiſque duntaxat auſpiciis de Virtute, & Sacrameuto Pœnitentiæ, de poſtremâ unctione, de luſtralibus ab interitu pœnis, déque earum per Indulgentiam, & ſuffragia remiſſione agit.

Sed viſum DEO eſt illius hìc virtutem per dura, & prolixa moleſtiarum experimenta probare. Typographorum inter manus etiam tum verſabatur poſtremum id opus; cùm allatum Conimbricam eſt Clementis Octavi Decretum, XIII. Kal. Sept. Anni 1602. editum: ubi divo intentato anathemate, ceu falſa, temeraria, & periculoſis offendiculis nocens ea ſententia proſcribitur, quæ docet, Sacram poſſe Homologeſim per literas, ſive per internuncium apud abſentem Sacerdotem obiri, eodémque ab abſente legitimam criminum abſolutionem referri. Multum ex Pontificià hac cenſurâ voluptatis cepit Suarius, aſtrui Eccleſiæ ab Oraculo cernens, quod

ipſe

ipſe Compluti, & Salmanticæ de irrito inter abſentes Pœnitentiæ Sacramento docuerat. (*a*) Suæ igitur roborandæ, extràque omnem controverſiam ſtatuendæ ſententiæ; recentis authoritatem Decreti prodituro quamprimùm de Pœnitentiâ operi additam voluit: ſubjiciens, non ideo ſibi tamen à Pontifice interdictum videri, (*b*) quominùs præſens Sacerdos moriturum quempiam, eſtò defectum jam ſenſibus, nihilque, quod ſpeciem confeſſionis exhibeat, agentem, abſolvere â criminibus queat: dummodò author idoneus fidem faciat, eum antea expiationem popoſciſſe, aut alia ſalutaris pœnitentiæ argumenta edidiſſe.

(*c*) Longè mihi animus, nudam rerum narrationem profeſſo, Apologias hìc contexere: præſertim cùm minime deſint, qui eruditis diſſertationibus Suarii cauſam publicè egerint. Sed ad pleniorem rei intelligentiam indicandum exiſtimo, prædictam illius opinionem Theologorum etiam veterum, (*d*) qui D. Thomam in opuſculis ſub ipſius nomine publicatis ſectantur, communiori Doctrinæ con-

(*a*) *De Pœnit. diſp.* 19. *ſect.* 3. (*b*) *Diſp.* 21. *ſect.* 4. (*c*) *Mora in quæſt. lect.* 81. *tr.* 3. *diſp.* 6. *q.* 1. *n.* 5. *&* *q.* 2. *n.* 12. (*d*) *Opuſc.* 65. *§. de extr. unct.*

congruere: quin â Divo etiam Leone in Epiſtolâ 95. ad Theodorum ſanciri, eidémque concilia ſuffragari tum Arauſicanum primum cap. 12. tum Carthaginienſia tertium, & quartum, illud cap. 34. hoc 67. (a) quæ Conciliorum teſtimonia Sacrorum in Canonum monumentis producta videre eſt. Addo Clementem VIII. ſciſcitantibus Cardinali Bellarmino, & Petro Lombardo Hiberniæ Primate, reſpondiſſe, nunquam ſibi cogitatum de hujuſmodi condemnandâ ſententiâ: quod illorum utérque Præſulum ſcripto affirmavit, ſuum ritè nomen adjiciens, & Leonardo Leſſio id Chirographum tradens, (b) ut Ægidius de Coninch in ſuo de Sacramentis libro teſtatur. Nec omitti poteſt Pauli V. graviſſimum ſanè judicium, qui, ſupremâ in Cathedrâ clementis Succeſſor, animadverſo, quantùm eadem Doctrina ſempiternæ animorum ſaluti faveret; Illius Parochis uſum in Romano Sacrorum Rituum præſcripſit volumine.

Cuinam igitur oboriri potuiſſet ſuſpicio, interpretamentum ſolidis adeò fundamentis innixum quidquam negotii ſuo exhibiturum authori; qui inſuper palàm eſſet profeſſus, ſe omnia,

(a) *Cap. Ægrotantes de conſecr. diſt. 4. cap.* 11. *qui* 26. *quæſt.* 6. (b) *De Sac. Pæn. diſp.* 7. *dub.* 10.

omnia, ſicubi fortè à recto exerrâſſet tramite, Pontificis judicio ſubmittere? Reperti tamen homines ſunt, qui ſyncero (ut opinari fas eſt) ſtudio incitati, acres ad Dominicum Ginnaſium, Pontificis tunc in Hiſpaniâ Nuncium, & Cardinalem poſtea renunciatum, literas dederint, accuſantes Suarium, quòd ſuo arbitratu declarare auſus eſſet ſupremi Antiſtitis mentem, quam, penes unum ipſum foret, in re tanti momenti aperire. Néque his contenti, ſuas Romæ criminationes urgeri curarunt tam inſtanter preſséque; ut commotus iis Clemens, ceu non habita fuiſſet, quam haberi par erat, Pontificiæ dignitatis ratio, Suarii vulgatum jam codicem Delectis Theologis ſolerter examinandum tradiderit, illorum mox judicia auditurus. Hi porro fuêre Apoſtolici Palatii Magiſter, Sacræ Inquiſitionis Commiſſarius, & Cappucinorum Patrum Generalis Procurator, qui, conſecuto proximè annò Purpuratos inter Eccleſiæ Principes adlectus, natali à ſolo Cardinalis Monopolitanus audivit; ſinguli enimverò tum muneris dignatione, tum Doctrinæ merito inſignes.

Non latuit ejuſmodi Viros, ſanam eſſe Suarii Doctrinam, primariúmque Academiæ, adeò & conſpicuæ, & Româ diſtantis, Do-

ctorem

ctorem nil notæ mereri, quòd Pontificis, utcúnque ſuperſtitis, ſenſum rectè adeò integréque explicâſſet. Offenſos potiùs creditum eſt uſurpatâ ab eodem loquendi ratione. Námque oſtenſurus, Hominem Supremis proximum, qui confeſſionis copiam abſente Sacerdote expetiit, eíque adeò abſenti videtur de peccatis confeſſus; poſſe nihilominus, citra nuperrimæ Sanctionis injuriam, abſolvi; (a) addit, dum à Pontifice confeſſio apud Sacerdotem abſentem, ejuſdémque abſentis abſolutio interdicitur; non utrámque ſingillatim partem ab eo ſibi videri interdictam, ſed utriúſque complexionem, poſterioris ſpeciatim ratione habitâ, quam & ipſe omnimodis rejicit, priori tantummodo parte approbatâ, ídque ipſum extremæ neceſſitatis in cardine: cujuſmodi eſt, ubi mors proximè impendens jam ſenſus in homine extinxit. Hæc igitur verba *Exiſtimo particulam ET non eſſe ſumendam diviſivè, ſed complexivè*, rectiſſimo licet in ſenſu ab authore uſurpata; Judicibus tamen ambiguæ ſignificationis ſunt viſa, eámque in partem minùs cautis à Lectoribus accipi poſſe, quaſi docerent, licere universè ſua confiteri abſentem apud Sacerdotem delicta, illiúſque itidem abſen-

(a) *Diſp. 21. ſect. 4. ad fin.*

abſentis munere abſolvi, dummodo ne utrumque in eadem exhomologeſi conveniat. Hinc adeò reverſi ad Pontificem, comprehenſam iis verbis interpretationem damnandam, éque Libro de Pœnitentiâ expungendam pronunciant. Nec diſtulit Clemens eorum ſententiis ſubſcribere: adeò ut Suarius damnatum ſe priùs Romæ, quàm reum factum audierit.

Graviter enim verò is hominem Nuncius commovit. Nempe in ipſa vulnus adactum erat vitalia: cùm imminuti Apoſtolicam erga Sedem obſequii videretur notari, quam ſummâ ſemper, ceu ſubjectum, ac filium decebat, obſervantiâ eſt proſecutus; nec unquàm adverſùs Hæreticorum oppugnationes dubitavit defendere. Occurrebant prætèrea malignæ interpretationes, quibus ab hominibus parùm æquis aggravari Pontificis ſententia poterat, non ſine aliquo vel cæteræ ſuæ omnis dehoneſtamento doctrinæ; minùs propterea valituræ, ad eas in publicum afferendas utilitates, quas ex illius editione ſibi promiſerat.

His animum levaturus angoribus, ſolitò crebriùs cum Deo agebat; ſuas in paternæ illius benignitatis ſinu deponebat curas, eáſque familiares ſibi hujuſmodi in temporum, ac rerum articulis voces identidem audiebatur re-

 petere:

petere: *Ad optimum cuncta finem reſpiciunt. Nihil mali, præter culpam, cenſendum. Quid agas, Divina ubi Providentia ſic ſtatuit? Illi noſtram commendemus ex animo cauſam.* Sed non facilè poterat illos omnino ſtimulos virtus retundere, qui ex ipsa virtute feriendi vim ducerent: eóque progreſſa res eſt; ut ſanguinis ſubſecuta proluvies, perculſæque ad ſummam imbecillitatem corporis vires timendam Societati facerent ægrotantis jacturam. Cùm interim ipſe, querelarum omnino expers, ne voculam quidem unam adversùs quempiam proferret: ſed contra omni anniteretur ſtudio, infixi altè doloris ſævitiam intra cordis latebras premere, moderatiſſimæque lenitatis ceu ſipario velare. Quin immò, ubi tandem morbi vis fracta; primas inter curarum habuit, confixum à Pontifice locum ex impreſſis exemplaribus, quantùm in ipſo erat, abſcindere, Sacrorum ultro Quæſitorum, ac Præſulum officia prævertens, nihilque penſi habens, ſuos per ſeſe partus mutilare, & probroſo quaſi ſtigmate inurere, dum ne à conſueto Apoſtolicæ Sedis obſequio vel latum unguem recederet.

At Pontificis Nuncius, qui hominem impensè carum habebat, comperto Amici dolore, & diſcrimine, opem pro viribus ferre: quæ

quæ ſopiendæ tempeſtatis forent; ſedulò cunčta adhibere: mollibúsque literis odioſas Clementis ex animo ſuſpiciones, quoad licebat, evellere. Quas cùm ex reſponſi accepti benignitate ſaltem mitigatas colligeret; author Suario fuit, Romam proficiſci ne gravaretur, & Pontificem coràm adire, æquum Beatiſſimi Patris animum ſpondens. Nec ille, quanquam ætas provečtior, attritæque vires, & ſtudiorum authoramenta retinerent; monenti ſe difficilem præbuit. Quin, eòdem impellentibus aliis quoque ex Hiſpania, Italiáque gravibus viris, profečtionem moliebatur. Sed ipſo in viæ jam jam ineundæ procinču Medicorum interceſſit authoritas, grave denunciantium diſcrimen, ſi adhuc recens à morbo tam prolixo ſe itineri daret. Coačtus quocirca ſubſiſtere, quintum in tertiam D. Thomæ partem, ſuorúmque in ordine očtavum volumen emiſit: ubi de cenſuris primò communiter; tum de excommunicatione, ſuſpenſione, atque Interdičto, copioſiùs atque uberiùs, quàm ex prioribus quiſquam Theologis, diſſerit, irregularitatem quoque, ceu Eccleſiaſticum impedimentum, cenſuris perſimile, eodem opere amplexus. Quod opus tanto paſſim ſcholarum omnium plauſu exceptum

 eſt;

eſt ; ut nimia celebritas fraudi atque noxæ propemodum fuerit. Cùm enim gravis ſuper immunitate contentio Pontificem inter prophanamque alicubi poteſtatem fuiſſet exorta; Politicorum nonnulli, ſuam huic gratificantes conſcientiam, quò ejuſdem cauſam magni nominis authoritate fulcirent; Typographum celebrem pretio induxere, ut Suarii de cenſuris opus ſuis formis imprimeret, ſeu, veriùs ut loquar, corrumperet: ſententiis nimirum quà præciſis, quà mendosè refictis, & adversùs Eccleſiam violenter detortis: ut Europæ in theatro antiquus repræſentari videretur Plautinæ fabulæ luſus: cùm, quemadmodum geminùs ibi Amphitruo; ſic duo hìc Suarii viciſſim contenderent: & germani alterius verique Doctrina ſuæmet authoritatis vi à ſuppoſitis oppugnaretur. Sed fraus brevì detecta, commiſsúmque à Pontifice Sacræ Indicis Congregationi illius dijudicandæ negotium: quæ VII. Id. Aug. Anni 1606. & adulterinum legentibus, aut retinentibus Codicem anathematis pœnam, unius ſupremæ ſedis judicio reſervatam, conſtituit; & notatum impoſturæ Typographum ſevero, ne quid ultrà typis conſignaret, imperio devinxit.

Pur-

Purgaturus ſe Pontifici Romam contendit, & rara ubique virtutum relinquit veſtigia.

CAPUT XIII.

ANni tempeſtate jam itineri ſuſcipiendo opportunâ, Rectorem Gymnaſii Suarius acceſſit, ſuum illi Romanæ peregrinationis conſilium aperiens, & intermittendæ tantiſper prælectionis facultatem depoſcens. Non deerant, qui diſceſſum interluderent, obices. Præterquam enim, quòd graviter ferebat Academia, tamdiu ſibi virum abeſſe, cujus ex ore vitalem quodammodo ſpiritum duceret; ne eundem ſive aliquis interciperet itineris longiſſimi caſus; Romana ſive aula retentum apud ſe vellet, (ut ſolicitum eſt amoris ingenium) ſubibat vereri. Omnibus tamen, Deo favente, ſuperatis difficultatibus, ſub extremum Octobrem Anni 1604. Conimbricâ abſceſſit, Vicarium Theologica in Cathedra Chriſtophorum Ægidium accipiens, noſtrorum Romæ per id tempus Librorum Luſitanum Cenſorem, & cui tam præclarum (ut ſupra retulimus) ipſemet olim

dederat Eborenſi in diſputatione teſtimonium Doctrinæ. Hujus in itineris curſu nonnulla evenere ad memoriam inſignia, quæque literis tradi communis exempli, atque utilitatis interſit.

Salmanticæ, dum hoſpitis pedes, uſitato reſovendi lavacro, nudantur; animadverſa ſunt tibialia, quæ ſecum attulerat, eò uſque detrita, & ſciſſuris hiantia; ut novis inſtruendus fuerit, cogendúsque uti, tanquam ſub Eleemoſynæ titulo datis. Neque verò credi par eſt, eam tanto viro defuiſſe Præſidum curam, quâ conſuli apud nos Sociorum vel infimis ſolet. Illud verò propius, fideíque conſonum magìs, ipſius voluntariam erga corpus duritiem in causa fuiſſe: quæ vel adminiſtros veſtiariæ rei de ſua inopia cælaverit; vel eidem artificioſam commodi ſpeciem, aut alium id genus colorem obtenderit, & certè Paupertatem religioſam ſartam ille ſemper, & tectam diligentiſſimè habuit: adeò ut, quàmvis librorum ſuorum pretio egenorum plures, impetratâ à moderatoribus veniâ, juvaret; nunquam tamen perſuaderi ſibi paſſus fuerit, ullam ut inde partem ſuos in uſus expenderet. Quin immò, cùm ſocius, penes quem totam ejuſmodi pecuniæ adminiſtrationem reliquerat,

rat, duos aliquando, ad neſcio quid ſupelle-ctilis ipſi comparandum, inſumpſiſſet denarios; re cognitâ, & ſeverè factum redarguit; &, ne inpoſterum vel oboli ſumptum eâ faceret gratiâ, omnino interdixit.

Commodùm ex equo ad januam Collegii, quod habet Societas Perpiniani deſcenderat, cùm in juvenem incidit publicæ diſcipulum Academiæ: qui, proximo die aſſerturus Philoſophicas Theſes, venerat, noſtrorum quempiam rogatum, ut eas de more oppugnaret. Nulla in ipſo fuit mora. Ad Rectorem converſus, ſuam ultro operam obtulit: verecundéque primò, & humaniter renitenti, tandem, ut id oneris ſe ſubire pateretur, perſuaſit. Hinc horâ condictâ deſtinatum certamini ad locum profectus, Divini memor conſilii, extremo in theatro reſedit: nemine interim ignotum hominem reſpectante, Evangelicis aut verbis *aſcendere ſuperiùs jubente*.

Idem ordo etiam in diſputando ſervatus: poſtremóque ipſe loco, ut diceret, monitus, vix alterum tertiúmve ſyllogiſmum conſtruxerat; cùm defeſſa Auditorum Panegyris ad diſcedendum ſurrexit. Inſolens enim verò neglectus hic homini erat, quem Principes Academiæ oraculi inſtar admirari loquen-

tem conſueverant: Adhuc tamen ulteriùs proceſſit. Cùm enim, ex Gymnaſio recedens, ad Doctorem, qui diſputationi præfuerat, ſeſe adjunxiſſet, illatóque de controverſia modò diſceptata ſermone, poſt varia ultro citroque habita verba, validum objeciſſet, nec parvo ſolvendum negotio argumentum; alter (ſeu dictorum vim minùs perciperet; ſeu nullum reperiret commodius effugium) præfractè admodùm duritérque, *vel mei te Diſcipuli de propoſita re docebunt*, reſpondit. Quem nam vel mediocris virum ingenii non commoviſſet contumelioſi adeò reſponſi procacitas? Sed, qui naturæ ſenſus rationis fræno moderari didicerat, placidiſſimo vultu id tantùm ſubjecit, perjucundum ſibi fore, Diſcipulorum tam præſtantium nomina audire, quò illos dein alibi poſſet, ceu ingenii doctrinæque exemplar, proponere: & mox, vale comiter dicto, ſe domum recepit. Ita ille tum ibi cotemptim eſt habitus, quòd homines, quiſnam foret, latebat. Idque adeò ut lateret, ingenioſum fuerat ipſius modeſtiæ artificium, ſtudiosè curantis, ne ullum in patentibus literis, quibus noſtri Viatores communiri à moderatoribus ſolent, peculiare ſui monumentum, atque indicium extaret: ſed communi

muni duntaxat vocabulo Profeſſus ex Societate appellaretur Sacerdos. Quanquam ex ejuſdem literis, quibus, jam in Italiam provectus, illius Collegii Rectori de impensa ſibi humanitate gratias egit, reſcitum Perpiniani mox eſt excepti pridem hoſpitis nomen. Unde non modicus cum aliorum civium rubor, de minori, quàm par eſſet, tantum erga virum obſervantia dolentium; tum præcipuè dicti antea Doctoris: qui & ad Suarium illico ſcripſit, ſuam magnopere inſcitiam excuſans; & eundem in reliqua deinceps omni vita ſtudioſiſſimè coluit.

Non tamen ubique honeſtiſſima fraus parem habuit ſucceſſum. Erat Lugduni Horatius Cardon, negotiator prædives, & Typographus nobilis: qui, poſt plura noſtri authoris opera impreſſa, eo ſe locupletatum quæſtu ferebat. Hic, audito Suarii Lugdunum appulſu, ad ipſum confeſtim venerandum accurrit: enixè inſuper deprecans, ſemel ut ſaltem domi ſuæ conviva eſſe ne abnueret. Ægrè adducebatur Suarius, ejuſmodi ut invitationibus gereret morem. Sed tantâ benevolentiæ vi alter inſtabat; ut, ſalvâ humanitate, obniti haud integrum foret. Condixit itaque ad epulas, & mox in tempore acceſſit,
neſcius

neſcius quales ſibi ab amico ſtruerenter inſidiæ. Nempe conductus domi Pictor latebat: qui, hoſpitis vultum diligenter obſervans, interdúmque ex adverſo, miniſtrorum veluti unus, conſiſtens; illius ad vivum expreſſit effigiem: lætiſſimo convivatore, qui, de furto tam nobili geſtiens, temperare ſibi minimè potuit; quin jam diſcedenti Suario rem geſtam diſertè aperiret: curaturum præterea ſe affirmans, eandem ut imaginem periti artificis manus ærea in tabula incideret, literariis ipſius monumentis, cùm ea prælo iterum ſubjicerentur, addendam. At ille, ſerò fraudem intelligens, majorémque in modum commotus, ubi nullis precibus potuit evincere, depicta ut aboleretur effigies; id ſaltem urgere vehementiſſimè inſtitit, ne in ſua unquam referretur volumina. Quod alter vi precum adactus promiſit, &, quamdiu ſuperſtes Amicus fuit, integrè præſtitit. Cæterùm in primo, quod edidit, illius mox è vivis ſublati volumine, prædictam extare iconem voluit: ut nihil jam ex authore deſiderandum haberet poſteritas: cujus & interiorem mentis formam, in doctiſſimis Lucubrationibus mirificè expreſſam; & extimam ſimul corporis ſpeciem, adjuncto in ſimulacro fideliter repræſentatam, videret. Gra-

Gravior adhuc Religioſæ illius demiſſioni ſuit, qua Avenione eſt exceptus, celebritas. (*a*) Theophilus Rainaudi, qui tunc ibi aderat præſens, totam Urbem teſtatur, ſimul atque, Suarium mœnia jam ingreſſum, rumor increbuit; ſe undique commoviſſe, ad contemplandum tam inſigne ſui ævi prodigium: & Dionyſium Chriſtianum, primarum ibidem partium Doctorem, publico nomine orationem ad eum habuiſſe, illuſtribus refertam præconiis, quæ ſua homini non vulgaris eloquentia, párque adversùs hoſpitem amor dictaverat: immoto interim ad honoris tam eximii titillationes Suario, alienas quaſi laudes audiret: quin eam vultu verecundiam præferente, quæ jucundiſſimum circumfuſæ multitudini exhibuit ſpectaculum.

Ad ſtudia quod attinet; affirmari utique poteſt, non minùs iis hoc in itinere Suarium vacaſſe, quàm in ſecreto Conimbricenſis cubiculi otio. Manè diverſoriis egreſſus, ſat prolixam in equo Divinæ conſuetudini precibúsque operam dabat: Sacro nunquam, ubi integrum foret, omiſſo. Tum, perſolutis, quæ ad Religionem animíque cultum ſpectant,

(*a*) *Tom.* 17. *in Prato Spir. Centur. Hiſtor. num.* 32.

ctant, officiis; tacitus, inque Doctrinam arcanam commentationem totâ mente ſeductus, reliquum peragebat itineris, quoad hoſpitium contingeret: ubi, quæ in via ſecum digeſſerat; amanuenſi, eum propterea ſectanti, dictabat: eâdem mox ratione pomeridiani quoque itineris ſpatia traducens. Rem dicam, planè admirabilem, ſed veriſſimam tamen. In hoc Romam itu, & Conimbricam reditu, integrum, nec exiguum volumen, primum videlicet in primam Doctoris Angelici partem, dictavit: adeò ut in Luſitaniam revecto illius editionem urgere confeſtim liceret: rarâ prorſus mentis felicitate, quæ, mille inter peregrinationis tumultus, avocamenta, & incommoda; ejuſmodi opus abſolvere, tam abſtruſas quæſtiones enucleare, totque ibi congeſta Sacrorum codicum, Conciliorum, Patrum, aliorúmque authorum teſtimonia ex unius memoriæ bibliotheca proferre potuerit.

Adver-

Adverſam in Urbe ſententiam æquanimiter ſubit: paratóſque ſibi honores fruſtratus, Conimbricam repetit.

CAPUT XIV.

IN Urbem appulſum Claudius Aquaviva pro veteri benevolentia peramanter excepit. Novum eâ tempeſtate lucis vibrantiſſimæ Sydus Romano ſe oſtendebat è cœlo: Fuítque non unius gravis viri ſententia, tam illuſtri phœnomeno indicata fuiſſe Divinitus novi hoſpitis merita: qui, fulgentiſſimum veluti Sydus, Eccleſiæ in Cœlo emicaret, juxta Danielis oraculum: (a) *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad Juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Sed, ſub ipſum adventum, inopini diſcriminis facies ſingularem viri modeſtiam non mediocriter terruit. Agebatur id temporis de Hiſpaniæ Provinciis à Præpoſito Generali obeundis: cujus ideò per abſentiam Generalem in Italia Vicarium deſignari oporteret. Eas igitur ſubeundas ad vices quà noſtro-

(a) *Dan.* 12.

ſtrorum, quà externorum hominum plures Divino prorſus deductum in Urbem conſilio Suarium interpretati ſunt. Et jam propoſitæ rei inibantur conſilia, exitum fortaſſe habitura, nisì ad Suarium permanaſſent: qui, omnem intercluſurus deſtinato ſibi muneri locum; ne Româ ſe Præpoſitus Generalis commoveret, ſedulam pro viribus operam dedit: & conatu quidem non irrito. Cùm enim primarius vir quidam, illius tranſigendæ luſtrationis ergò, Neapoli in Urbem veniſſet, &, utcunque demum animatus, ſtrenuè cauſam urgeret; aggreſſus ipſe hominem è ſententia deducere, tot ex adverſo partim Divinas, politicas partim rationes propoſuit; ut earum vi alter commotus rem infectam reliquerit: cujus tota exiguum intra tempus molitio penitùs concidit, non minore Suarii cum gaudio, quàm noſtri ordinis commodo.

Priùs, è Lúſitania quàm iter capeſſeret, accuratas ad Clementem Pontificem tranſmiſerat literas, de ratione, quâ in ipſius explicando Decreto uſus eſſet: veniam humiliter orans, quidquid fortè per imprudentiam erraſſet, ipsíque attuliſſet moleſtiæ: cui ſupplicabat poſtremò, ne, in damnationis ſententia perſtando, veritatis hoſtibus triumphi mate-

riam

riam præberi, ſuósque enervari vellet pro communi utilitate ſuſceptos labores. Huic epiſtolæ ſuis pondus adjecit actuoſis officiis Robertus Cardinalis Bellarminus, Suarii Studioſus ex animo. Jámque Pontifex non obſcura commutatæ voluntatis dederat ſigna; cùm, extremo correptus morbo, V. Non. Mart. Anni 1605. vacuam Petri Sedem reliquit. Cujus funeri continuatum penè eſt Leonis undecimi Succeſſoris funus, ante plenum Imperii ſui menſem extincti: memorabili ſanè documento, quàm in lapſum prona vel ſummarum poteſtatum ſint culmina, luteis nimirum humanæ fragilitatis fundamentis innixa.

Secundùm has vices, Majo ejuſdem Anni dimidiam plùs partem elapſo, Vaticanum obtinuit ſolium Camillus Burgreſius, quem ſub Pauli V. nomine lætus diu adoravit Orbis Terrarum. Hic, ut probè tum virtutibus ornatus, tùm literis, permagni faciebat Suarium, nec vulgari complectebatur benevolentiâ. Cúmque is, gratulatum ſibi de recenti honore, acceſſiſſet; profeſſus diſertè eſt, cariſſimam ſibi eſſe illius in urbe præſentiam, ad Apoſtolicæ utilitatem Sedis, Suæque Aulæ ornamentum: Lætum eâ benignitate, & fauſta inde omnia ſuæ cauſæ augurantem dimittens,

tens. Sed, qui thuris hanc ſynceriſſimi virgulam, quò fragrantiùs redoleret, prunas inter relictam volebat, ſupremus humanarum arbiter rerum; Pontificis mentem, utcunque benevolam faventémque, illò impulit, ut ne quid novi ea in causa decernendum putaret, ſed ratam omnino eſſe vellet ſui deceſſoris ſententiam. quæ proinde non modò antiquata non eſt; verùm etiam nonnullis poſtea editis ſacræ Inquiſitionis Decretis validiùs ſancita.

Lydius hic quaſi lapis integerrimam Suarij virtutem luculenter probavit. Quamvis ſpe magnâ conficiendæ, rei, quæ ſibi adeo curæ erat, tantúmque ſuam ad exiſtimationem afferebat momenti, repentè dejectis; palàm tamen confirmavit Pontifici, nedum illud æqui boníque ſe decretum conſulere; ſed ita inſuper comparatum animo eſſe; ut, ſi vel tenuiſſima Pontificiæ oſtenderetur ſignificatio voluntatis; nihil dubitaturus eſſet, ſuorum univerſam Librorum ſuppellectilem, ne uno quidem exemplari ſepoſito, flammis abſumere. Quæ obſequij declaratio admodum probata Pontifici eſt, quámque is de Suario per honorificam antea opinionem conceperat, illius animo penitiùs impreſſit, ac firmiùs. Et

mihi

mihi quidem primaria inter tanti viri ornamenta non minimum obtinere admirabilitatis videtur rara hæc ſubmiſſio, in oſculanda, quâ cædebatur, ſupremi Paſtoris virga, atque manu. Neque enim ſiniſtri quippiam mente concepit, non abalienatus animi eſt, non querelis dolorem laxavit, non Apologias, & defenſiones oppoſuit: immo potiùs omni ſtudio contendit, ut, quidquid ſuos adversùs libros edixerat Pontifex, effectum rite obtineret: Romanæque deinceps Eccleſiæ, vel gnaviùs quàm pridem, ſua officia, ſuos labores impendit. Quæ omnia in excellentis adeo ingenii famæque homine virtutem declarant, uſitatos ultra fines egreſſam, & communi eminentiorem faſtigio.

Aliis quoque objectis ærumnis, ac tricis Suarii tolerantiam exercuit Roma: ídque ipſe Amicorum in Luſitania non nemini aperuit: ſubdens tamen, longè omnibus præſtitiſſe moleſtiis intimum ſui animi gaudium, quòd pro Numinis gloria, communíque utilitate adverſi quippiam perferret. Fuit ſpeciatim Religioſus Vir, qui illius, tanquam Hæretici, nomen ad Sacrum Romanæ Inquiſitionis Tribunal deferendum ſuſceperit: quòd nimirum doceret, abſolvi extremo vitæ in cardine à criminibus quempiam, vel non ſentientem, poſſe, dum legitimam antea expiationem abſente is Confeſſario petierit: eóque progreſſa eſt maligni cen-

ſoris temeritas; ut ad eandem, quam adverſario intentabat, damnationem ſubeundam paratum ſe diceret, niſi judicialiter crimen probâſſet. Sed meritas dedit, quæque ſuo convenientiſſimè reſponderent livori, pœnas. Dum ſiquidem criminationis improbæ telam, ut cùm maximè, feſtinat abſolvere; apoplexiâ ictus, media repentè in via corruit, Pœnitentiæ Sacramentum magnis vocibus flagitans. Nec defuit, qui illac poſtmodo præteriret, Sacerdos; verùm is, æquiſſimo Dei judicio, indignam talione vindicantis calumniam, quàmvis rogatus de homine à noxis ſolvendo, prout ipſe antea, dum ſentire ac loqui poſſet, petierat; Religione ſe impediri reſpondit, quominus illâ erga moriturum opinione uteretur, quam idem, ſui compos, & valens, hæreſeos in crimen vocaverat: Quapropter infelix, nullo Sacramenti munitus præſidio, ad reddendam eo in foro ſuæ vitæ rationem conceſſit, unde procul ſpecioſa latentis invidiæ velamina, nec ſimulatæ Religionis fuco mentis perverſitatem occultare fas eſt.

Nullâ jam reliquâ, cur Romæ ſubſiſteret, causâ, Conimbricam cogitare Suarius cœpit: rogavitque adeo Pontificem, paternâ ut apprecatione abiturum ſe proſequi vellet. At ille, propoſitam rem non perinde ſibi gratam oſtendens, ſua depromere eſt ingreſſus conſilia, de

eo,

eo, magnorum negotiorum ad uſus, in Urbe, ac penes ſe retinendo. Obviis plerique ulnis tam ſplendidæ conditionis authoramenta excepiſſent. At Suarius ad rei mentionem perhorruit, humana nempè doctus ſomnia contemnere, & aulicorum in pauciſſimis oſor tumultuum. Submiſsè igitur deſtinato ſe imparem muneri excuſans, ingratóque à colloquio, ubi primùm licuit, digreſſus, ad Hiſpanum Oratorem, Cardinalem Bellarminum, & Claudium Aquavivam confugit, quorum authoritate, atque gratiâ impetraturum ſe faciliùs miſſionem ſperabat. Et ſua illi quidem præſtiterunt officia, Bellarminus nominatim, qui ſupplici cauſam egit libello. Sed parùm ſecundis exceptæ auribus preces: reſpondítque Pontifex, ſuas ſcripto complecteretur Suarius difficultates, juſtâ illas ſe lance expenſurum. In quibus mox oblatis cùm nihil ſolidi approbandíque, præter humilitatis Evangelicæ ſtudium, deprehendiſſet; magis inde excitatus eſt, ejuſmodi ut virum, in quo Virtus cum Doctrina certaret, à ſe avelli ne ſineret: pluréſque adeo per hebdomadas certi nihil reſpondit: morâ illâ fortaſſe hominis ſeu repugnantiam fatigaturus; ſeu leniturus pavorem. Nec alii præterea illuſtres viri ceſſabant, pro ſe quiſque abiturienti moras opponere, tam prolixâ ut Principis voluntate uteretur, ſuadentes: repertúſque eſt non ne-

mo, qui, cætera inter argumenta, nominis quoque celebritatem inde ipſi acceſſuram propoſuit: ignarus videlicet, quàm obſtructas Suarius haberet Sireniis hiſce modulis aures: quod tamen confeſtim ejuſdem ex reſponſo intellexit, hâc ipsâmet causâ capeſſendam ad fugam ſe impelli affirmantis, ut obſcuro in religioſæ humilitatis ſeceſſu lateret, nullius præterquam ſempiternæ cæleſtísque gloriæ prenſator.

Interim vetitus à Pontifice Suarii diſceſſus varios, ut in aula fieri amat, ſermones commoverat. Hi eum Principi à conſiliis; illi à confeſſionibus augurabantur futurum; Theologi munere atque titulo alii honeſtabant. Jámque Pontificiis in ædibus adornabatur hoſpiti locus: nonnullis etiam altiorem ad ſcopum ſua præſagia mittentibus, ipſam nempe ad Senatûs ampliſſimi purpuram, quæ homini circumponenda propediem, & eximias illius dotes illuſtraret uberiùs, & hauſtâ indidem luce ſuos viciſſim geminaret nitores. Nec mihi quidem temerè omnino fuiſſe concepta ejuſmodi opinio videtur, reputanti cùm præclara Suarii merita, tum inſigne Pontificis de illo judicium, & pluribus ad eum ſcriptis epiſtolis, & gravibus eidem commiſſis negotiis abundè teſtatum. Cujus rei argumento, partem hic Literarum adſcribere liceat, quas pridie Non. Sext. Anni 1665. Joannes Suarius de Toleto Franciſci pronepos

ad

ad P. Antonium Deſcamps Granatâ miſit. *Mul-*
,, *ta inter* (ſic ille habet) *quæ noſtra* in domo
,, egregia perierunt monumenta, plures Regis
,, connumerari poſſunt Epiſtolæ, aliæque inſu-
,, per datæ Pauli V. Pontificis nomine, qui ter
,, purpuræ honorem meo majori Avunculo
,, detulit. At ille, quàmvis Rex ipſe Pontifi-
,, cii admittendi muneris hortator ſuasórque eſ-
,, ſet; invictâ vi obſtitit ſemper, ne à volunta-
,, ria humilitate, Sanctíque ſui Ordinis inſtitutis
,, recederet. Hactenus literæ. Quibus ſi ha-
bendam cenſemus fidem; pronum erit conjice-
re, quàm altis animi illa demiſſio niteretur radi-
cibus, quæ conſtanter adeo repelleret, quod
tam multi, poſt ærumnoſam ſervitutem, into-
lerabiles ſumptus, immensósque ſudores, be-
ne partum exiſtimant. Et ſanè jam antea, quo
tempore compluti Theologiam explicabat, ſu-
um ille humanorum ejuſmodi honorum faſtidi-
um apertâ ſignificatione prodiderat. Etenim
cùm eò appuliſſet nuncius de Franciſco Toleto
Purpuratorum in Patrum Collegium adſcripto,
aliterque alii, pro animorum diverſa inductio-
ne, id exciperent; auditâ ipſe re, miſerantis
in ſpeciem compoſitus. ,, *Quàm præclariùs*, in-
,, quit, *cum illo ageretur*, ſi, novæ dignitatis
,, loco, illuſtrandis explicandíſque D. Pauli
,, Epiſtolis ſuum pergeret ſtudium atque tempus
,, impendere?

Dum igitur de Suario, quos retulimus, ferverent rumores; unum ipſi votum erat, ex hujuſmodi ſeſe Labyrintho explicare: Deúmque, cujus in manu ſunt Principum corda, aliquam ut ſibi aperiret ad evadendum viam, perpetuó obſecrabat. Hinc, anno jam in hyemem vergente, ſupplici alio Pontificem eſt aggreſſus libello, abeundi veniam efflagitans, priuſquam hyberni temporis inclementia itineri obſtaret. Quod ubi ab optimo tandem Patre exoravit, invito illo quidem, ſed nolente cariſſimum filium diutiùs tot angoribus confici; haud pronum eſt explicatu, quanto cumulatus ſit gaudio. Nihil illi longiùs, conceſſi quàm muneris poſſeſſionem inire, timenti ſemper atque anxio, ne improviſus quis turbo in priſtina ſe rurſus vada atque brevia rejiceret. Cúmque Româ egrederetur; ſublatis ad Cœlum oculis, Davidicum illud auditus eſt, geſtiens, repetere. (*a*) *Dirupiſti Domine vincula mea: tibi ſacrificabo Hoſtiam laudis.* Iter priori ex Luſitania ſuſcepto non abſimile fuit, Divinas totum, & Literarias inter curas traductum: ita nempe inſtitutâ atque factâ ſublimi illa mente; ut aliud cogitationum genus haud poſſe videretur recipere.

Eximiis multas apud Urbes honoribus, quidquid contra niteretur, quibuscunque ſe arti-

Pſal. 115.

artibus communiret; ſuſceptus eſt. Barcinone, poſteaquam de illius proximo innotuit adventu, quotquot in Academia erant Doctores, ad Urbis usque portas, præeunte clavâ, ſe obvios agminatim, & ſolenni habitu inſignes tulerunt: ingreſsúmque perhonorifico ad Societatis ædes comitatu deduxere: cùm Diſcipulorum interim turba, duos utrinque in ordines diſpertita, feſtivum euge acclamaret: confertâque in populi multitudine, compellantium ſe invicem, & mutuam admirationem foventium, exaudirentur voces; En Heroëm illum: en cujus nomen tam illuſtri fama præconio circumfert: en ſpirans illud doctrinarum Lyceum. Hac igitur circumfusâ triumphi ornatiſſimi pompâ coactus eſt Barcinonem prætervehi, non minimo ille quidem cum animi angore, quem oris verecundia, humilíſque oculorum dejectio prodebat; adeo ut non ſecundis ambiri plaudentium ſtudiis; ſed ludibrii veriùs, & contumeliæ causâ palàm videretur traduci.

Matriti quoque, cùm per gravium occaſionem negotiorum, quæ Præpoſitus Generalis commiſerat, eò divertendum fuiſſet; non parum diſcriminis illius modeſtiæ objectum eſt, eoſdem Hiſpanica in Aula parari ſibi laqueos videnti, quos in Romana ægrè nuper vitaverat. Nimirum Philippus III. paterni ceu imperii, ſic erga Suarium favoris hæres, multum illius ex

aſpectu voluptatis hauſit: nec minori ſtudio eſt incenſus aſſerendi ſibi hominem, tanto ſuæ aulæ decori, & præſidio futurum. Eòdem & Magnatum plures conniſi, Dux Lermæ cumprimis, cui Princeps apud Regem authoritatis gratiæque locus: & S. Gadeæ Comitiſſa, quæ jam tum moliebatur, quam deinde, ad religioſam paupertatem inter excalceatas Carmelitani Ordinis Virgines profitendam, lautioris è fortunæ complexu arripuit, honeſtiſſimam fugam. Sed quantâ Suarius virtute prenſantis ſe aulæ favorem averſatus ſit, documento eſſe poteſt, quod huic ipſi matronæ tunc dedit, reſponſum. „*Si tu, Excellentiſſima Domina, quæ aulæ aſ-* „*ſueviſti*, quæque tantum commodi afferre tuis „liberis poſſes, dummodo oblatam tibi toties „educandorum Infantium reciperes curam; ni- „hilo tamen minùs humanis rebus nuncium re- „mittere, ínque ſacri Parthenonis latebras me- „ditaris te abdere; quî me, Religioſum ho- „minem, jámque ipſo penè ſtantem Æternita- „tis in limine, deceat profana ad negotia, ni- „miùm quantùm & periculi plena, & meo ab „*Inſtituto aliena mentem traducere*? Argumentum validè urgebat, nec prudens fœmina, quid ex adverſo reponeret, habuit: immo & religioſam illius commendavit mentem, & ſuos, tam laudabili in propoſito, ut conſtanter hæreret, adjunxit hortatus. At Lermenſis, ſpe excuſ-

ſus

ſus detinendi in Regia Suarii; cujus frui præſentiâ non poterat; ejus ſaltem ſupereſſe apud ſe imaginem voluit. Quanquam ne id quidem obtinuit, niſi per idem illud amicæ fraudis genus, quo uſum ſupra narravimus Lugdunenſem Typographum: invitato nimirum ad epulas homine, duobúſque poſt tranſennam collocatis egregiis Pictoribus: quorum uterque accumbentis cum Duce hoſpitis vultum iconicè exſcripſit: iíſque duabus è picturis tertia deinde conformata eſt effigies, ſuo mirificè reſpondens prototypo: quam Dux, ceu ſplendidum, aſſervavit, inſignis ſuæ pinacothecæ ornamentum.

Eccleſiaſticæ Immunitatis defenſæ honorificum à Pontifice teſtimonium per literas recipit: mox, gravibus turbis in Anglia commotis, Eccleſiæ iterum partes egregiè tuetur.

CAPUT XV.

LOngum poſt iter, diverſarúmque tot viciſſitudines rerum, incolumis tandem Suarius Conimbricam tenuit: haud facilè dixerim majori ne ſuo, qui in portum ſe receperat, gaudio, an Urbis gratulatione, quam cariſſimi amit-

amittendi pignoris metus diu anxiam habuerat. Excepere ſtatim reducem ſtudia: nec eorum diu fructus deſiderati, permiſſo publicæ luci primo in Primam D. Thomæ partem volumine: quod ſuorum operum nonum, quemadmodum nuper retulimus, in itineris ipſe curſu dictaverat. Nihil hic creatum, nihil non ſummum: argumentum Deus implet: Illius tum natura, tum admirandæ perfectiones, Æternitas, Immenſitas, Omnipotentia, Intelligendi vis, Providentia, in diſputationem vocantur: arcanúmque poſtremo, Auguſtiſſimæ Triadis explicatur myſterium.

Non levis per hoc tempus Venetam inter Rempublicam, & Paulum V. Pontificem maximum de Jurisdictione controverſia fervebat. Scribendi pro Eccleſia munus Cardinalibus Roberto Bellarmino, atque Aſcanio Columnæ, & aliis doctiſſimis in Urbe viris demandaverat Pontifex. Mox, animo reputans, quantum ad partes allaturus momenti eſſet ſuâ, tanquam Literarii cujusdam oraculi, authoritate Suarius; gratum ſibi oſtendit futurum, ſi ipſe quoque tam honeſti in partem laboris accederet. Legis inſtar hic nutus obtinuit apud obſervantiſſimum Sedis Apoſtolicæ hominem. Calamum illicò ſtrinxit, commiſsámque ſibi cauſam uberi, & nervoſâ lucubratione defendit. Verùm, quo ea tempore in Urbem pervenit; jam diſſidia ſe-

nue-

nuerant, & res ad concordiam vergebat. Quamobrem vulgata non eſt, ne, ſupervacui pharmaci inſtar, quos ſedatura humores erat, perturbaret vehementiùs. Redditam ſibi tamen Pontifex legit, &, quanti feciſſet, ſplendidiſſimis declaravit literis, VI. Non. Oct. Anni 1607. datis. En earum exemplar, ex autographo verbatim deſcriptum.

Dilecto filio Franciſco Suarez, Presbytero Societatis JESU, Sacræ Theologiæ Doctori, & in Gymnaſio Conimbricenſi Profeſſori Primario.

Paulus Papa V. dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ QUàm ſit magnus DEUS noſter, ejúſque virtus, & ſapientia, ex ea, quam Eccleſiaſtica Libertas elapſis menſibus perpeſſa eſt, procella perſpicuè apparet. Conati fuerunt nonnulli tenebrarum amatores, erroris noctem offundere veritati improbis ſcriptis ſuis. Sed peſtiferam noctem tam multi fideles Chriſti ſervi, ac tam feliciter ſanæ Doctrinæ lumine diſſiparunt; ut hæc nox ſpi-

„ ritus

,, ritûs ſancti gratiâ illuminata planè fuerit. In
,, ſervis iſtis numerat te in primis volumen Apo-
,, ſtolatui noſtro à te miſſum. Multum in eo
,, diligentiæ, ac Doctrinæ, nec minùs ardoris
,, aſſerendæ Catholicæ veritatis, & Divinæ Bea-
,, ti Petri tuendæ authoritatis elucet, uſque adeo;
,, ut opus univerſum Theologum eximium ex-
,, primat, ac pium. Eſt igitur, cur in Domi-
,, no gaudeas, & gratias agas Patri luminum, à
,, quo omne datum optimum, & omne donum
,, perfectum deſcendit. Nobis autem non po-
,, tuit, niſi gratiſſimum eſſe beneficium, & tale
,, beneficium, apud Eccleſiam ſanctam humili-
,, tati noſtræ commiſſam opportunè à te poſi-
,, tum. Quapropter oramus Dominum no-
,, ſtrum JESUM Chriſtum, ut in dies de ſpon-
,, ſa ſua ita bene mereri, ſecundùm divitias bo-
,, nitatis ſuæ, tibi tribuat, ac retribuat: atque
,, Apoſtolicam Benedictionem iterum imparti-
mur. Hæc Pontifex: quæ quantum præferant æſtimationis, & gratiæ nemini non in promptu eſt, vel citra interpretem, noſcere.

Vix Romam id opus author tranſmiſerat; cùm primum de Religione tomum prælo ſubjecit, decimum nempe ingenii feraciſſimi partum: ubi Religionis veræ natura, propriique actus in medium afferuntur: de feſtorum dierum obſervatione, Templorúmque cultu, & immunitate agitur: Tum ad decimas diſputatio pro-

progreditur: additâ poſtremò vitiorum Religioni adverſantium tractatione, quæ in ſimonia præſertim declaranda copiosè verſatur. Nec diu poſt,inſecuto nimirum proximè Anno 1609. alter de Religione tomus in publicum prodiit, quæ ad mentis conjunctionem cum Deo, ad Canonicas Preces, ad Juramenta, adque Vota referuntur, complexus. Quod utrumque monumentum noſtram minimè commendationem deſiderat, ſuo ſatìs ſupérque merito illuſtre.

Rectoris munus Conimbricenſi in Gymnaſio gerebat Alphonſus Furtadus de Mendoza, generis, & literarum præſtantiâ admodùm clarus: qui, Legum Doctrinam ab inſigni quopiam Theologo explicari cupiens, Franciſcum adhortatus eſt, ſuas in id opus vigilias atque curas conferret. Tanti igitur Viri authoritate impellente, per vaſtum argumenti latiſſimi oceanum ſui ille ingenii vela explicavit: perpetuóque triennio quotidianas habuit de legibus ſcholas, tanta cum approbatione exceptas; ut confeſtim moderatores publicari opus voluerint: quod & peractum duodecimo ſupra Milleſimum Sexcenteſimum Anno. Et ſanè, ſi uſquam alibi, hìc apprimè portentoſum mirari fas eſt authoris ingenium: cùm adeo plenam tum Sacræ Theologiæ, tum Juris totius, quà naturalis, quà civilis, quà Canonici, peritiam exhibeat; ut cujuslibet ex iis facultatibus apicem videa-

videatur tenere: perinde quaſi in ea una, cæterarum incurioſus & negligens, ſuam omnem operam vitámque contriverit.

Non tamen aſſidui Literarum labores religioſæ obruebant ſtudium virtutis: nec nihil ipſa quoque, cùm ingenium eximios tot depromeret fœtus; illuſtris pariebat exempli. Eccleſiaſtici ordinis vir, non mediocri authoritate conſpicuus, domeſtico illum epulo exceperat: qui, convivalem inter lætitiam, ſermoni animóque liberiùs indulgens, de abſentum aliquo graviter conqueri, & palàm detrectare illius famam inſtituit. Silere initio Suarius, modeſtam id genus caſtigationem importunæ oblocutioni compeſcendæ ſatìs valituram exiſtimans: mox, primis non ſuccedentibus, ulteriora experiri remedia, connitens aliò ſermonem traducere, & hominis qui accuſabatur patrocinium ſuſcipiens. Sed, cùm nullæ artes proficerent; humanis valere rationibus juſſis, omníque diſſimulatione ſublatâ, profeſſus liberrimè eſt, actutum ſe inde abiturum, ni ſermo conticeſceret, Chriſtianæ adeo Charitati inimicus. Quibus alter verbis permotus, Hoſpitis in amplexum ſurrexit, placidéque ſubridens, „*Pro certo*, inquit, *habeas*, *cariorem te mihi* „ex hac die, quàm eſſes unquam antea, futu„rum. Cùm enim propenſam adeo ad tuen„dos, quicunque oppugnentur, indolem ge-

„ras;

„ras; nullus dubito, quin eandem, multóque
„ adhuc impenſiorem mihi quoque, te penitùs
„ diligenti, quandocunque res ferat, præſtitu-
„ rus operam ſis.

Sed plus etiam ardoris, & ſtudij, amplio-
re alia in cauſa tuenda, ſua illum virtus a-
degit depromere. Quod antequam narrare in-
gredior; non abs re fuerit rei occaſionem altio-
re à principio repetere. Eliſabethâ Angliæ Re-
giuâ in ordinem mortalitatis redactâ, ſuffectus
illi eſt Jacobus Stuartus, qui ſextus hoc nomine
id temporis in Scotia regnabat, ambobúsque
dein populis unius Imperij in corpus conjun-
ctis, magnæ Rex Britanniæ cœpit vocari. Ma-
xima Catholicorum fuit ob illius inauguratio-
nem lætitia, fauſtiora ſibi tempora novo à Rege
ominantium, ut qui, Mariæ Stuartæ Principis
Religioſiſſimæ filius, maternas haud poſſe vi-
deretur partes odiſſe. Eapropter, Londinum
ingredienti, explicari vix poteſt, quæ gratula-
tionis amoríſque argumenta præbuerint. Sed
hæc ipſa futuris locum aperuerunt tragœdijs:
cùm & ſectariorum excitatæ inde ſuſpiciones
ſint; & Jacobus, ut novam dominationem hæ-
reticæ factionis opibus ſtabiliret; à Catholicis
ſe totum averterit: omni illos confeſtim capeſ-
ſendæ Reipublicæ aditu excludens, graviſſi-
mis opprimens mulctis, paternis facultatibus
ſpolians, tótque aliis ærumnarum affligens ex-
emplis;

emplis ; ut optandum penè haberent, quo ab Eliſabetha preſſi fuerant, duriſſimum jugum. Hinc eorum nonnulli (quinos, Duce Roberto Catesbio, fuiſſe traditur) præpoſtero vindicandæ Religionis ſtudio decepti, nefariam conjurationem inierunt, à pulvere vulgò appellatam, omniúmque, ſed Catholicorum maximè Anglorum, execrationibus ac diris confixam. Fide igitur mutuâ inviolabili juramento ſancitâ, hortulum ijs ædibus proximum, ubi publica à Rege haberi ſolebant conſilia, tanquam animi gratiâ conducunt: ibíque ſubtirraneum furtim moliuntur cuniculum: qui, ſubitâ nitrati pulveris vi, cum univerſo Regem conſilio certiſſimum in exitium præcipitem ageret, èque medio funditus tolleret. Jámque, poſt Laborioſiſſimam plurium menſium operam, fraus proximè ab exitu aberat, & certum peragendo facinori deſtinaverant diem. Sed Divinæ Providentiæ mos eſt Principum defenſioni excubare, quos humana jn re gubernanda ſuæ habet poteſtatis vicarios. Unde rara felicium, quæ à ſubditis adversùs illos ineuntur, conjurationum exempla, & hujusmodi inſidiæ ſuorum plerumquè in authorum perniciem conſvevevrunt redire. Ita prorſus in re noſtra evenit. Cùm atrocis molitores conſilij ad plures ſibi adjungendos ſocios illius difficultate fuiſſent impulſi; eorum nonnemo (ut ſecreti ratio inter

multos

multos vix conſtat) amicum per literas monuit, caveret certâ, quæ deſignabatur, die, ſi ſua cordi eſſet ſalus, in curiam accedere. Subobſcurus hic, atque tenuis, ceu fumi, vapor latentem prodidit flammam. Anxiâ primùm ſuſpicione commotâ, liquidioribus mox indiciis deprehenſis; armatorum miſſa protinus cohors, quæ impendentis periculi minas opprimeret. Conjuratorum nonnullos ſuga in tutum ſubduxit; alios, vim acriter propulſantes, mors pugnando obita carnifici eripuit: qui ſuperfuerant in vincula & cuſtodiam conjecti. Londinenſis interim populus, re pervulgatâ, in Catholicos immaniter fremere, omnes ad unum reos infandi moliminis facere, cum armis paſſim diſcurrere, vindictam inclamare: adeo ut Rex, gravioris metuens tumultûs, edictum, ſua quàmvis à mente alienum, palàm affixerit: quo nihil à Catholicis peccatum communiter, nec niſi paucos teſtabatur eſſe criminis conſcios: quorum qui capti detinebantur, luituri quamprimum capite eſſent impios conatus. Et verò nulla per eos mora judicio fuit. Ad quæſtionem producti, ſua ultro aperuerunt conſilia: ſuppliciòque damnati, quo læſa vindicatur majeſtas, mirum eſt,

 quan-

quantam ad extrema intrepidæ mentis ſecuritatem attulerint: è funeſto ſinguli pegmate veniam precati, palàmque, interpoſitâ etiam juramenti fide, profeſſi, meram per imprudentiam, & recti ſpeciem, illius ſe delapſos ad immanitatem facinoris.

Tragædiâ hunc in modum peractâ, Jacobus Rex, qui fraudis in partem, tum quidquid Catholicorum erat in Anglia, tum Romanum veniſſe Pontificem, metu facilè ad deteriora proclivi, conceperat; optimum factu exiſtimavit, ſi, quoſcunque ſuo ſubjectos habebat imperio, novo ſibi arctiùs Sacramento obligaret: ſpeciem quidem præſeferens, quaſi nihil ultra civile obſequium exigeret: ſed re ipsâ id propoſitum habens; Anglicanæ, ut Eccleſiæ ſupremum ſeſe caput imponeret, omnémque inibi everteret Romani authoritatem Pontificis. Quod juramenti ipſe titulus non obſcurè videbatur fateri, communis illam teſſeram fidei ad internoſcendos Papiſtas requiri declarans. Formulâ igitur, in quam omnes jurarent, propoſitâ; certos Rex Magiſtratus coram quibus ea nuncup[illegible]ur, quique contumaces, ad pœnam, diligenter notarent, conſtituit; palàm gloriatus, recuſantes Papiſtas nudos

ſeſe

ſeſe (terrenis nimirum quibuslibet bonis, opibúsque detractis) amandaturum ad Inferos. Et Catholicorum quidem complures, animadversâ juramenti fallaciâ, nullis terroribus, & rerum diſpendiis, ut illo ſe obſtringerent, potuerunt induci: quin & ipſius libertatis jacturam honeſtiſſima pro contumacia maluerunt ſubire, perpetuo carceri unam intra Eboracenſem Urbem ad quadragenos infoſſi. Verùm non omnibus par animi firmitas conſtitit: aliósque ſanè multos, authoritate cæteroquin & famâ ſpectabiles, indecora formido Regiis juſſis fecit obnoxios: qui, ut ſuæ mederentur infamiæ, eóque Cenſorum minùs, quò plures ſocios haberent; jusjurandum propoſitum à Divinis Sanctionibus, Conſcientiæque officio nil prorſus diſcrepare evulgarunt. Magno itaque opinionum excitato diſſidio; placuit Apoſtolicæ Sedis judicio controverſiam permittere? ſcriptúmque de ea eſt ad Paulum V. qui Petri tum Cathedram obtinebat. Ille, unanimi acceptâ ſuorum Theologorum ſententiâ, X. Kal. Oct. Anni 1606. literas reddidit, in quibus de Sacrilego jurejurando, præter cætera, hæc habet. „*Quæ cùm ita ſint*; vobis ex verbis ipſis perſpicuum eſſe debet, quòd hu-
 „juſ-

„juſmodi juramentum, ſalvâ fide Catholicâ, „& ſalute animarum veſtrarum, præſtari non „poteſt: cùm multa contineat, *quæ fidei, & „ſaluti apertè adverſantur.* Anglóſque ad extremum cohortatur, ut, debitæ ſupremo Regnatori memores fidei, ne inanibus hominum minis, & terriculamentis ſuccumbant. Sed neque id revocandis ab errore imbecillioribus valuit: quin, ad ultimum verſi laborantis cauſæ præſidium, maluerunt authoritatem Judici demere; quàm vel ignaviæ ipſi notam, vel audendi neceſſitatem ſubire: Pontificiámque adeo ſententiam, ut, alieno poſtulatu, nec re ſatis cognitâ, pronunciatam, nullius eſſe jactarunt efficacitatis, & ponderis.

Certior Pontifex factus de tam futili obtentu, alteras inſecuto proximè Anno 1607. conſignavit literas; ubi, ſuum teſtatus dolorem, quáſque longè diverſas de obſequentiſſimis filiis conceperat ſpes; ſuperiorum literarum confirmabat ſententiam, ſuâ illam ſe ſponte, ac rei momentis priùs ritè perpenſis, tuliſſe aſſeverans: denuóque præcipiens, ab impio ut Sacramento, quod citra graviſſimum crimen concipi haud poterat, omnino abſtinerent. His porro literis breves duas, ſed ponderoſas diſſertationes annexuit, à Roberto

berto alteram Perſonio noſtræ Societatis Sacerdote Anglicè ſcriptam; Latinam alteram, Cardinalis Bellarmini opus. Quarum utraque, cùm Regio incluſam jurejurando perfidiam non inertibus argumentis revinceret, & adjunctam præterea jam minimè dubiam Pontificis authoritatem haberet; ad permovendos multùm animos valuit, nec paucos lethiferi ab erroris veterno excitavit. At Rex, acri indignatione ſuccenſus, quòd ſuis iter obſtrueretur conſiliis; Apologiam in publicum edidit, indignis adversùs Romanam Sedem contumeliis refertam: eíque Paræneticam ad Principes Chriſtianos Præfationem adjunxit, ſuadens Romani Pontificis jugum excutere, quem ibi probroſis Apoſtatæ, Tyranni, & Antichriſti nominibus oneorat: cùm ſeſe è contrario germanæ patronum Eccleſiæ vocet, fideíque Orthodoxæ aſſertorem.

Tam pernicioſis Adverſariorum conatibus, quíque Religionis integritatem, & Eccleſiæ conſenſionem, non in Anglia duntaxat, & Scotia, ſed in aliis etiam Chriſtiani Orbis provinciis labefactare, haud leviter poterant, pro ſua in commiſſum gregem vigilantia maturè ſibi obviam eundum, graſſantísque pe-

ſtiferæ luis contagionem quàm præſentiſſimâ ope retundendam communis Paſtor putavit. Memor itaque Doctrinæ, ac pietatis, quam in Suario probè perſpexerat; per Cardinalem Caraſam, ſuum in Hiſpania Nuncium, cum eo egit, hanc ut vellet Provinciam ſuſcipere: & adversùs Jacobi Regis, Anglicæque Sectæ nefaria molimina totum ingenii, totum eruditionis ſuæ robur objiceret. Rem profectò tanti eſſe ad commune Bonum momenti; ut ipſa per ſeſe validiſſimos admovere cuilibet ſtimulos poſſet, quem nonnulla animorum ſalutis, Chriſtianæ fidei, Divinæque gloriæ contingeret cura.

Nullum ardentiſſimæ Suarii charitati calcar adigi poterat, quo impelletur vehementiùs. Negotium illicò arripuit, præſentémque adeò Divini opem Numinis ſenſit; ut paucos intra menſes admirandum volumen pepererit, inſcriptum, *Defenſio fidei* Catholicæ, „& Apoſtolicæ adversùs errores Sectæ Angli„canæ, cum reſponſione ad Apologiam pro „Juramento fidelitatis, & ad Præfationem „monitoriam Sereniſſimi *Jacobi magnæ Britanniæ Regis*. Quod Principibus Chriſtianis nuncupatum voluit, ut iidem opportunâ munirentur antidoto, quibus propinatum fuerat venenum,

nenum. Opus id univerſum ſex in libros dividitur. Palàm in primo fit, quantum Anglica hæreſis Catholica diſcedat à fide, quàmque falsò hujus ſe DefenſoremRexBritannicus ferat. Religionis alter placita, ab Anglis Sectariis oppugnata, vetuſtatis, ſanctorúmque Patrum niti ſuffragio, & recepta ſemper in Chriſti Eccleſia fuiſſe demonſtrat. Tertii argumentum eſt ſuprema Pontificis in Spirituali regimine authoritas, ſubjectióque à Chriſtianis ipſi Principibus debita. Quarto Clericorum à profani cujusque tribunalis vi immunitas declaratur. De Antichriſto diſputat quintus, quàmque à Sectariis præpoſterè ignominioſum id nomen, ſibi tantummodò debitum, Romano affingatur Pontifici, oſtendit: ſextus demum de Anglicani Sacramenti formula agit, latentémque ſub eo fraudem in apertum producit.

Quàm

Quàm modeſtè ſimul, & liberè Catholicam Religionem edito adversùs Britanniæ Regem libro aſſeruerit: quantis id opus plauſibus Catholici celebraverint: quóque ipſe animi ſenſu ejuſdem damnationem acceperit.

CAPUT XVI.

QUod ad me attinet, non minùs hìc ſcriptoris moderationem, quàm Doctrinam celebrandam exiſtimo. Quotus enim quiſque ignorat, quàm arduum ſit, longam texere apologiam, & Adverſariorum calumnias refellere, quin unquam ſuſceptæ ſtudium cauſæ ultra innocuæ defenſionis limites exeat: præſertim cùm non hebeti ab homine initur certamen, ſed ab eo potiùs, qui pro ingenii ſubtilitate ſtylum quoque valeat acuere. Atquè rariſſima hæc laus citra omnem controverſiam apologiæ Suarii debetur: cujus totum acumen & vis univerſa ad errores duntaxat configendos dirigitur, ne minimâ quidem maledicentiæ punctiunculâ perſonas diſtringens. Ut planiſſimè conſtet, tanquam cum amicis eum agere, quorum ſanita-

nitatem quærat; non tanquam cum hoſtibus, quos lædere propoſitum habeat.

Sed neque exiguam operi commendationem adjungit intrepida in tanto Rege laceſſendo animi firmitas. ,, *Non me* (præfatur ,, ipſe in ſcriptionis veſtibulo) *Regiæ Dignitatis* ,, *majeſtas terruit*, ſed potiùs ab eadem impu- ,, gnata veritas vehementiùs excitavit : ne ,, fortè tanti nominis ſplendor *infirmiorum ocu-* ,, *los perturbaret.* Sub cujusque libri finem modeſtâ, & ſuavi quidem, ſed æquè liberâ oratione Regem alloquitur: poſtremóque in volumine propoſiti ſui integritatem iis verbis conteſtatus. *Non enim propter victoriæ laudem, aut ingenii, vel Doctrinæ oſtentationem vincere opta-* ,, *vi*, ſed ut veritas ipſa vincat, & errorum ,, tenebræ depellantur, & ut Chriſtus in omni- ,, bus regnet, *hoc maximè in votis habui.* Pro Anglorum ſalute ad duriſſima quæque ſubeunda ſe alacrem, & paratum confirmat. ,, *Si* ,, *hoc à vobis obtinuero, ſpe alicujus publicæ utilitatis* ,, *erectus*, nulli labori parcam, ſed libentiſſimè ,, impendar, & ſuper impendar ipſe pro ani- ,, mabus veſtris.

Jam verò haud facile dictu eſt, quàm effuſos literati Orbis plauſus tertium hoc decimum authoris monumentum retulerit.

Vix

Vix Conimbricæ in lucem exierat; cùm proximo deindè anno Coloniæ recuſum eſt, móxque Gallicos, Hiſpanienſes, & alios typos exercuit: nullâ exemplarium copiâ publicam æquante cupiditatem comparandi voluminis, in quo, juxta communis famæ præconium, peculiaris elucebat aſpirantis Dei favor, & tantùs cæteroqui ſcriptor ſibimetipſi videbatur præſtare. Cæterorum omnium loco unius Conimbricenſis Epiſcopi, Alphonſi de Caſtelbranco, doctiſſimi Viri teſtimonium producam. Hic in eo ſcripto, quo libri editionem approbavit, gratulari ſe dicit, cùm ætati ſuæ, quæ tali exornetur magiſtro; tum Societati JESU, quæ ejuſmodi alumnum recenſeat. Sacrorum omnem Doctorum Senatum pro illo, & illius ore ſibi loqui viſum affirmat: nec dubitat communem eum noſtri ævi Magiſtrum, alterúmque Auguſtinum vocare. Quod tamen elogium adeò non arriſit Suario; ut repetitis, cum ipſe coram, tùm per alios, Epiſcopum fatigaverit precibus, ne perpetuo, & intolerabili tam exuperantium titulorum pudore ſe obrutum vellet. Quâ enim fronte alterius Auguſtini poſſet cognomentum recipere, qui neque inter tanti Doctoris Diſcipulos mereretur

cen-

cenſeri? ſed nequicquam adhibitæ preces, & irriti omnes reciderunt modeſtiæ conatus: amico in præſcripta ſemel ſententia obfirmato, & vel literulam ex ea deleturum negante; coactúsque adeo eſt, præfixæ ſuo operi laudationis moleſtiſſimæ onus, gemens atque ingratiis, perferre.

Certarunt cum eruditorum hominum plauſibus Principum ſtudia, gratulantium authori de tam nobili opere. Horum è numero afferendi nominatim videntur tum Philippus III. Hiſpaniarum Rex, tum Romanus præcipuè id temporis Pontifex: qui ſuam eruditiſſimi approbationem voluminis per literas declaravit, V. Id. Sept. Anni 1614. in hæc verba conſcriptas.

Dilecto Filio Franciſco Suarez Præsbitero Societatis JESU Paulus Papa V.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ ACcepimus librum à te pro Catholi-
„ cæ Religionis, atque hujus Sanctæ
„ Apoſtolicæ Sedis defenſione elucu-
„ bratum. Libentiſſimè illius lectione dele-

„ctat

„ ctati ſumus. Nam à viro tantæ pietatis, „ & eruditionis non niſi magnæ utilitatis „ opus expectandum erat. Interim tibi, ma- „ ximéque piis laboribus tuis benedicimus.

Neque hac ſignificatione contentus, Cardinalem Burghenſium nepotem ſuum aliam Beatiſſimus juſſit Pater Suario Epiſtolam ſcribere, quæ magìs familiares, & luculentas amoris ſui notas præferret. Libentiſſimè, & perquam cumulatè demandatum is officium implevit, multá cum verborum benignitate hominem adhortatus, ut ſua confidenter vota Sanctiſſimo Patri aperiret, illius merita impensè æſtimanti, & nulli non ſubſcribere petitioni parato. Quam in rem totâ ſe pariter authoritatis gratiæque ſuæ vi, ſi quid facto uſus foret, conniſurum ſpondebat. Reſponſum Suarii fuit: Pontificiæ largitati, quas ampliſſimas poſſet, referre ſe gratias: cæterùm nihil præſtantioris ab ea muneris expetendum habere, quàm ut ſibi, & viceenis præterea, quorum operâ uſus in ſtudiis fuiſſet, plenam ſub extremum ſpiritum admiſſi cujusque criminis remiſſionem indultam vellet. Quæ Religioſi poſtulati moderatio, nullo aulicarum artium ſucata pigmento, ſed ſyncero ex animi ſenſu profecta, Pon-

tifici

tifici gratiſſima accidit. Eúmque propterea, nedum quæſitam noxarum condonationem libentiſſimè annuere; ſed, vel ad alia quævis munera impertienda, propenſam, ut cum maximè, voluntatem ſovere, Cardinalis reſcripſit.

At longè diſſimilis Jacobi Regis ſenſus atque animus fuit. Quam adversùs ſcriptorem iram conceperat, in librum effudit, Londinenſi juſſum in foro per Carnificem flammis abſumi: quòd (ut præconis voce palàm edicebatur) Doctrinam promulgaret orthodoxæ Religioni, Juſtitiæ, Regnorum tranquillitati, ac Principum Juriſdictioni contrariam. Publicæ hujus animadverſionis rumor, brevì per Europam diffuſus, Conimbricam quoque Franciſci ad aures pervenit. „Qui, „oculis in Cœlum ſublatis, *Utinam*, ait, *con-* „*ceſſa meo volumini* ſors mihi etiam ſingulari „Dei munere obtingat: & ſanguine, ac ſpi„ritu illam conteſtari merear fidem, quam „calamo ſum conatus aſſerere. Aderat (ut fertur) hæc dicenti Sebaſtianus Barradius, compoſitis in Evangelia libris notiſſimus, & morum, ac ſtudiorum ſimilitudine apprimè Suario conjunctus. Isque, piâ Amici ſuſpiratione delectatus, Ovidii Poetæ hemiſtichium

chium *ſinè me liber.ibis in Urbem*, præſentem ad rem accommodavit, ultimæ tantùm voci *Ignem* ſubſtituens, & ſequentem continuò adjungens verſiculum, *Hei mihi, quòd Domino non licet ire tuo*?

Videns tamen Britannus Regnator Franciſci librum ſuis illuſtratum veriùs, quàm abolitum flammis fuiſſe, cùm manibus paſſim tereretur, multóſque Lectorum Romanæ ad Eccleſiæ complexum reduceret; ſeveriſſimis propoſitis pœnis, à quoquam eum lectitari, aut retineri vetuit: ſimúlque Philippum ad Regem literas miſit, felle potiùs, quàm atramento conſcriptas: expoſtulans, quòd Hiſpanus Jeſuita, quæ diſſolvendæ Poteſtatis Regiæ eſſent, Populóſque à legitimo Principum obſequio avocarent, edito palàm libro in vulgus ſparſiſſet. Se quidem, ad ſeditiones prohibendas, noxium volumen rogo addixiſſe: Scriptoris verò ulciſcendi munus ipſimet Philippo relinquere: qui ſua hominem in ditione haberet, dignâque in eum pœnâ conſtitutâ, & factioſis ingeniis, ne turbas molirentur, poſſet metum injicere; & magnam ab omnibus, qui ſceptrum tractarent, gratiam inire. Liquidò intellexit Catholicus Rex, quibus è fontibus ejuſmodi querelæ emana-

emanarent: Nihilo tamen minùs, quò & nullam debiti erga tantum Principem officii negligeret partem; & aliquem ſimul ſaniora ad conſilia ipſi aditum ſtrueret; quod accuſabatur volumen doctiſſimis Hiſpanienſium quà Eccleſiarum Præſulibus, quâ Gymnaſiorum Doctoribus tradidit, ſingula juſſis illius verba ſcrupuloſo judicio perpendere, &, ſi quid minùs caſtigatè ſcriptum notaſſent; ſibi mox viritim referre. Sed nodus quærebatur in Scirpo. Concors planèque eadem omnium ſententia fuit, integerrimam usquequaque libri eſſe Doctrinam, Sacrarum Literarum oraculis, Conciliorum Decretis, & Patrum effatis innixam: nec Principum rationibus ulla ex parte adverſari: cùm, per legitimam ſuo capiti ſubjectionem, membrorum nequaquam minuatur dignitas, ſed muniatur ſalus: quódque ad Religionem tuendam facit, ad commune itidem tam imperantium, quàm parentium Bonum pertineat. Delectatus hoc judicio Philippus, dignam Catholici Regis pietate ad Jacobum Epiſtolam exaravit, Suarii primò innocentiam ab objectis criminibus vindicans, tum ipſum Regem ſeriis, & gravibus excitans verbis, ad eam ſartam tectam fidem habendam, quam elapſis

pſis tot ſæculis ſui majores coluerant, quámque ipſe, primævo unà cum lacte, Maria ex parente, Religionis Romanæ ſervantiſſima, hauſerat. Caveret etiam atque etiam, ne cæco libertatis ſtudio ad excutiendum induceretur ſuavè Servatoris Dei jugum. Hinc enim nullam oſtendi ſpem publicæ ſtabiliendæ quietis, ſed graviſſimorum potiùs occaſionem tumultuum: edoctis videlicet Populis, ab imperantis obſequio deficere, quem debitum ſupremo Imperatori obſequium videant exuiſſe. Ita quidem Philippus tunc monuit, véracíque nimiùm præſagio luctuoſas viſus eſt Tragædias innuere, quas infelix id Regnum conſecutis deinde temporibus Europæ contemplandas exhibuit.

Mirum non erat in Anglia, Hæretico Principi obnoxia, Catholicæ fidei defenſionem actam criminis ream, publicóque vindicatam fuiſſe ſupplicio. Illud potiús admirationi ſit, quòd ejuſdem judicii, & damnationis aleam in ipſa quoque Gallia ſubjerit. Sed, quod ibi apertâ vi Hæreſis potuit; clandeſtinas hìc per fraudes obtinuit: deteriorem nimirum ad ſenſum detorquens nonnullas authoris ſententias, ita ut legum placitis, rectæque Populorum adminiſtrationi viderentur

tur pugnare. Hac igitur peregrinâ, & deformi ſuperinductâ illis ſpecie, ad Regii Procuratorem ſenatûs vaferrimi Sycophantæ criminationes ſuas deferunt, magnâque vi inſtant, ut pernicioſus publicæ quieti, & felicitati liber horrendi carminis lege damnetur. Et verò nacti hominem erant ſuis apprimè opportunum conſiliis: ut qui ſub aſcititia orthodoxæ Religionis perſona occultum Calvinianæ virus perfidiæ tegebat. Oblatam is igitur ſui noſtram in Societatem odii expromendi anſam cupidè arripiens, meditatâ oratione Suarii volumen in curia accuſavit, tanquam turbarum fomitem, & graviſſimas pariturum clades, ni quamprimum proſcriberetur è Gallia. Nec ſucceſſu fraus caruit. Senatores, cordati quidem viri, & plerique Catholici, ſed Civilium, quàm Theologicarum ſcientiores rerum, diligentiori examine omiſſo, præſtandam Accuſatori fidem duxerunt: decretúmque adeo eſt, noxius ut liber, infami ſuper curru Pariſienſem per Urbem traduceretur, Carnificis dein manu dilacerandus, inque flammas ſpargendus: utque inſuper violatæ pœnam Majeſtatis ſubiret, quisquis eundem ſeu domi haberet, ſeu legeret. Prodiit hæc ſententia VI. Kal. Quintil. Anni 1614. crematúmque lux inſequens codicem vidit, non ſine palmari Calvinianæ factionis lætitia, & quaſi triumpho.

Indigniſſima res Pontifici viſa: nec omiſit cum Chriſtianiſſimo Rege Ludovico XIII. & illius Parente Medicea per literas queri: perſuaſum ſibi quidem affirmans, regiam eorum pietatem ab inſolentis Decreti culpa longiſſimè abeſſe: commonens tamen, ut, ratione ſui muneris habitâ, tam noxio mederentur exemplo, ac reſtituendæ in integrum Doctoris celeberrimi famæ conſulerent. Quod à Principibus, Pontificiæ Sedi addictiſſimis, integrè, ac celeriter præſtitum. Nam, teſtati apud Sanctiſſimum Patrem, quidquid rei erat, ſe inſciis, & Lutetiâ tunc abſentibus geſtum; confeſtim abrogarunt Curiæ Decretum, plenámque omnibus damnati ab ea codicis legendi, retinendi, imprimendíque poteſtatem fecerunt. Quin à Rege dictum fertur, ſi quis fortè comprehenſâ inibi offenderetur Doctrinâ, non eum poſſe de authore, ſed de Sacrorum ſolummodò Canonum præſcriptionibus queri, quibus ille ad amuſſim congrueret. Ita Divinæ viſum eſt Bonitati ſalvam, & indemnem illius libri authoritatem tueri, qui tam multis mortalibus, cum alibi paſſim, tum in Anglia ſpeciatim, & Gallia, nauticæ inſtar tabellæ, portum erat monſtraturus ſalutis.

Diſce-

Diſcedendi Theologica è Cathedra facultatem exorat: Literarum quoque ſtudiis valedicere in animo habet: ſed Ulyſſiponem à moderatoribus mittitur, ſua ibi editurus volumina.

CAPUT XVII.

IAm pridem venerabilis ſenex ætate, ac morbis defeſſus Prælectionis ſuæ onus deponere, nullíſque interpellantibus animum curis, adeundæ, quam è propinquo intuebatur, æternitati ſeſe auebat componere. Sed Philippus Rex, à Gymnaſii Rectore commonitus, quantum, unà cum homine, deceſſurum loco dignitatis foret; apud ipſum, ſua ut in ſtatione perſeveraret, humaniſſimè inſtitit, Literis IX. Kal. Jan. Anni 1611. in hanc ſententiam conſcriptis. „*Cùm Conimbricenſis iſtius Gym-„naſii Rector certiorem* me faciat, ſatis tibi vi-„rium ſupereſſe ad porrò ſuſtinendum, quod „iſtic geris, munus; operæ pretium duxi, „á te expoſcere, tibíque commendare, ut „aliud triennium eodem ne graveris perfungi, „quâ perfunctus ad hoc temporis es, curâ, „ſedulitate, & doctrinâ. Idque adeo poſtu-„landum eſt viſum, tum operæ gratiâ, quam „Divinæ Majeſtati, mihíque ibi navas; tum

„ utilitatis ergo, quæ tuis ex laboribus in Academiam iſtam, inque Theologiæ Studioſos „ *redundat*. Quin eandem voluntatis ſuæ ſignificationem, cùm alio deinde ſuper negotio ad Suarium ſcripſiſſet, expreſſit Prid. Non. Sept. Anno 1613. eâdem; quâ priùs, obſervantiâ, & benignitate ſuadens, ut aliud exinde biennium, novum nempe ultra ſuperioris epiſtolæ limites annum, obeundo ſuo muneri additum vellet. Unde intelligi poteſt ſingularis apud Regem Suarii æſtimatio: de quo Conimbricenſi in Cathedra quàm diutiſſimè habendo, ſtudioſum adeo, & propè anxium ſe oſtenderet: cùm tot in Hiſpania præſto eſſent inſignes Theologi, qui honeſtiſſimum illum locum, nedum non averſarentur, ſed & votis precibúſque depoſcerent.

Verùm, elapſo tandem conſtituti temporis ſpatio, honoraria illi miſſio patentibus literis à Rege eſt indulta, XII. Kal. Mart. Anno 1616. tametſi, Gymnaſiarchæ causâ, qui Academiæ jacturam omni ſtudio nitebatur differre, non ante inſequentem Januarium ſui uſum ille muneris cepit, vigeſimo nimirum fluente, ex quo ad illam acceſſerat Cathedram, anno. Haud levi quà diſcipulos, quà Magiſtros dolore tanti viri deſiderium affecit: totúmque adeo Conimbricenſe Athenæum lugubria indutum dixiſſes. Unus communi in mærore gratula-

batur

batur Suarius, laudes Numini referens, quòd è ſcholarum emerſiſſet tumultibus, conſcientiæ animæque rationibus ſupremas impenſurus deficientis jam ævi reliquias. Hac de causâ librorum quoque omnem imprimendorum curam meditabatur exuere, ſolíque dein Cruci, & confixo in illa Servatori DEO, tanquam volumini totius ſapientiæ ſummam complexo, vacare, ad Apoſtoli exemplum, palàm profitentis. (*a*) *Non enim judicavi me aliquid ſcire inter vos, niſi JESUM Chriſtum, & hunc crucifixum.* Idque adeo non ſemel aperuit Petro de Aguilar, adjutori domeſtico, quem ipſi ſocium moderatores adjunxerant: non ſe ampliùs aut illi, aut cæterorum cuipiam oneri, dicens, futurum, cúm nihil edendis à libris habiturus eſſet negotii. Quo reponente, *At „quid tandem*, eâ curâ dimiſsâ, nanciſcère „occupationis, & muneris? Utinam (ſubdidit) in tuis, cariſſime frater, obſequiis „mihi vitam daretur traducere, & nonnullam tibi, pro eximia iſta adversùs me ſedulitate, vicem referre! quàm præclarè meam „operam, meúmque tempus collocatum putarem?

Solenne illi erat, nihil, quod alicujus eſſet momenti, decernere, niſi propitiato priùs precibus Numine, & re coram illo diu,

(*a*) 1. *Cor.* 2.

ac per otium perpenſâ. Huic igitur laudatiſſimæ conſuetudini inhærens, ſpirituales Societatis exercitationes tunc obire eſt aggreſſus, divinúmque ibi lumen expoſcere: quod rectum eo in bivio ſibi callem detegeret, nec humano à ſenſu, Angelum ſæpè lucis induente, pateretur in fraudem abduci. Sed, cùm certi nihil Sacro illo in ſeceſſu potuiſſet ſtatuere; religioſos ſuæ vitæ moderatores, tanquam minimè dubios Divinæ voluntatis interpretes, ſibi demum conſulendos putavit: animíque neuter ac medius, quæ utramque deliberationis in partem argumenta occurrebant, Rectori domeſtico expoſuit. Hic, ut emuncti vir judicii, ac rerum Divinarum intelligens, ſuis te momentis perpenſâ, prioris retinendi inſtituti author homini fuit. Meminiſſet, non ideo illuſtratam ſibi cœlitus mentem, Divinæque patefactos ſcientiæ theſauros fuiſſe, ſuum ut otium ſolitariæ contemplationis oblectaret dulcedine, ſed ut veri ſanctiora myſteria communes in uſus proferret. Si ad ſuprema ſe rite comparare in votis habebat; quid ejuſmodi accommodatius propoſito foret, quàm indefeſſis conatibus allaborare animarum ſaluti? Quemadmodum nullâ miles honeſtiori poteſt morte defungi, quàm, quæ armato, & in acie pugnanti contingit; ſic nullum ab ipſo præclariorem optari exitum poſſe; quàm, qui calamo ingenió-

nióque, armis nimirum ad Eccleſiam tuendam ſibidatis, utentem deprehenderet. Nec quidquam cauſæ eſſe, cur avocamentis, & perturbationibusterreretur, quibus ſtudia inquietari communiter ſolent: ſat conſcius, eorum tractationem, peculiari Numinis dono, ſuæ nequaquam pietati obfuiſſe: & perinde hanc innoxiam publica ſcholarum in luce verſatam eſſe; ac ſi penitùs devias Nitriæ umbras incoleret.

His argumentis, multóque magis authoritate ſui Præſidis motus, animum ille denique induxit, Divinis poſthabere Divina, &, rimosâ quámvis ac lacerâ valetudinis exhauſtæ naviculâ, cœptos exequi curſus: recognoſcenda, & luci maturanda ſuſcipiens, quæ conſcripſerat pridem, volumina. Sed quoniam Conimbricenſe Cœlum in ea ætatis devexitate illius valetudini non perinde videbatur favere; deſtinata homini eſt Ulyſſiponenſis ſedes, tanquam & ab aëris ingenio clementior, & propter emporij celebritatem Librorum editioni apprimè opportuna. Monitus itaque à Provinciali de aſſignato ſibi loco, priùs quàm eò iter ſuſciperet; generali Religioſæ totius vitæ confeſſione expiare animum voluit. Sed nihil toto illo trium & quinquaginta annorum ſpatio, exiguiſſimas præter noxas, accuſandum invenit: adeo ut Confeſſarius, tam eximium

 mium

mium innocentiæ candorem admirans, ſingularem in ſe ſe tuendo Dei benignitatem agnoſcere hominem juſſerit, debitáſque tanto muneri gratias reponere. Quam ille demiſſo, & lacrymabundo vultu commonitionem excepit, ſe ingratum, perverſum, & quidquid ſceleratorum uſquam hominum eſſet, ſceleratiſſimum vocans.

Magnus interim Conimbricæ mœror, ubi eum fama diſceſſurum vulgavit. Clamare paſſim cives, ſuum ſibi Magiſtrum, Parentem, atque Angelum præripi: nec ipſe, ut humaniſſimo erat ingenio, commoveri minùs, eam urbem relinqueret, cujus amica tamdiu ſtudia, effuſiſſimámque, in ſe voluntatem fuerat expertus. Sed, quàm Luctuoſa Conimbricenſibus illius amiſſio fuit; tam Ulyſſiponem hilaravit adeptio. Certabant votis de tanto ſibi hoſpite vindicando, quæ ibi noſtra ſunt Domicilia. Tyronum ille ſedem elegit, tum ut concurſus, & celebritatem hominum falleret; tum uti pio Religioſiſſimorum Juvenum frueretur convictu. Hic ſua inter opera ſecundum de gratia volumen præ cæteris publicare in animo habebat, non ſine largis ſudoribus, multáque Divinæ opis imploratione conceptum. Fusè ibi explicatur, longéque, quàm opuſculorum in libro, accuratiùs, quo pacto Divinæ Gratiæ efficacitas humani libertatem

arbi-

arbitrii non lædat: maximæ difficultatis quæſtio, nec minoris momenti, & ſuperioribus annis primarios inter duûm ordinum Religioſorum Magiſtros, coram Clemente VIII. & Paulo V. perdiu vehementérque agitata.

Non ſatis Suario fuit qualeſcunque hujus operis arbitros, & cognitores nanciſci: ſed, inoffenſo velificari ſolicitus curſu, ad certiſſimi ſyderis auſpicium reſpexit, tranſmiſsúmque Romam librum ipſimet exhibendum curavit Pontifici: ut, illius juſſu ad examen vocatus, publicari dein poſſet, ſi cenſorum approbaretur judicio. Largiter commendatum in Urbe opus eſt, ſed illius tamen editio haud permiſſa: quòd ſcilicet Pontifex, obviam turbis iturus, quas partium æmulatio potuiſſet concire, ſapienti haud ita pridem edicto vetuerat, ne ullus typis imprimeretur liber, qui de Auxiliis Divinæque Gratiæ efficacitate diſſereret. Decretum ejuſmodi cùm ad Suarii nondum aures eſſet allatum; expoſcendam ille à Pontifice ſui operis cognitionem putaverat. Cæterùm nihil jam diu ex urbe accipiens reſponſi, anxius apud ſe reputare, & vereri ſolicitè cœpit, ne quid ſibi per imprudentiam ea in lucubratione excidiſſet, quod, à Recti norma deflectens, Societatis famæ, doctrinæque poſſet labem inſpergere. Sed brevì has animi nubes diſcuſſit benigniſſima Cardinalis Burgheſii

epiſto-

epiſtola, ipſius data Pontificis nomine, quam hic integram libet ſuismet verbis deſcribere.

„*Acceptis binis ejusdem argumenti veſtræ* „*Paternitatis literis, juſſit me Sanctiſſimus* „*Dominus* ſuo nomine reſpondere, præſtan- „tiam ingenii Veſtræ Paternitatis, & obſe- „quium in Sedem Apoſtolicam plurimi ſe feciſ- „ſe. Eam paternâ charitate & amaſſe ſemper, „& inpoſterum amaturum, cum ob præcipua „in Rempublicam Chriſtianam merita ſua; „tum quòd honeſtiſſimè de ſuis virtutibus ſen- „tit. Quòd ad impreſſionem libri de Gratia „pertinet; nulla propter Doctrinam orta eſt „difficultas, exiſtimat enim ſua Sanctitas eam „non diſcrepaturam ab eruditione, & Do- „ctrina tot librorum dudum in lucem à ſe edi- „torum, qui omnium acclamatione excepti „egregiè ſuſtinent nomen, & famam, quam „adepti ſunt. Sed omnis emanavit difficultas „ob qualitatem materiæ, de qua ne alii etiam „agerent, qui de ea ſcripſerant, efficacitérque „pro facultate imprimendi inſtiterant, gra- „viſſimis de cauſis pro nunc non modò cau- „tum, ſed ſtrictim vetitum fuit. Si ulli tamen „unquam poteſtas fiet hac de re libros promul- „gandi; in hoc etiam oſtendet ſua ſanctitas, „quanti Veſtram Paternitatem ejúsque virtu- „tem æſtimet. Volet enim tunc, ut liber Ve- „ſtræ Paternitatis inter primos in lucem pro- „deat.

„deat. Ego, cùm hujuſmodi occaſió dabi-„tur; non patiar ſtudia mea à Veſtra Paterni-„tate deſiderari: cui Divinæ Gratiæ incre-„mentum à Deo precor, & ſuæ Sanctitatis no-„mine benedictionem impartior. Romæ 26. „Aprilis. 1617.

Veſtræ Paternitatis Studioſus
Scipio Cardinalis Burgheſius.

Nonnullarum Virtutum, & voluntariæ primò humilitatis reſidua.

CAPUT XVIII.

ANtequam ad pretioſam Franciſci mortem accedat narratio; colligenda quædam ſuperſunt ipſius virtutum exempla, hactenus prætermiſſa, quòd eorum de tempore, & loco nequaquam conſtaret, nullámque adeò vitæ in ordine ſatìs certam ſedem, atque propriam haberent. Ab animi demiſſione ordiri libet, ut quæ largiſſimus quidam Divinorum fons munerum eſt, ceu in illo Pſalmi verſiculo, *Qui emittis fontes in convallibus*, Auguſtinus notavit. Quo loci uberrima oppidò ſcribenti ſeges occurreret, ſi, quæ ſpar-

(*a*) *Pſ. 103.*

ſparſim toto in opere commemorata ſunt; vellem omnia relegere, & unico quaſi obtutu contemplanda proponere. Sed fatigandis odioſâ repetitione Lectoribus parco, nonnulla duntaxat, quæ hiſtoriæ curſus non attigit, tum hoc, tum ſecuturis capitibus afferre contentus, juxta corporatæ Divinitatis præceptum, poſt turbam in deſerto refectam, colligi, quæ ſuperaviſſent, fragmenta imperantis. (a) Quæ accuratio in re noſtra multò etiam juſtior videtur: cùm ſanctorum Hominum acta cœleſtium quædam geminarum ſint ſpecies, eorúmque adeo ſegmenta vel minima pretioſiſſimi mereantur æſtimationem, atque cuſtodiam theſauri.

Et verò peregregium inficiabitur nemo, ſummisque proſequendum laudibus decus, animi ſubmiſſionem eminenti Doctrinæ conjunctam: (b) cùm ſcientiâ mentes inflari non Apoſtolus modò, ſed & ipſa palàm experientia confirmet: idque propterea (ut opinor) quia Doctrinæ præſtantia ſupra reliquorum conditionem mortalium, quos exornat videtur attollere, iisque Divinitatis quandam ceu notam imprimere, ab antiquo & probè intellectam, & callidiſſimè commemoratam ſerpente: dum ejusmodi illecebrâ primos Hominum ineſcare eſt aggreſſus, (c) *Eritis ſicut Dii*, inquiens,

(a) *Job*. 6. (b) *1. Cor*. 8. (c) *Gen*. 3.

quiens, *ſcientes bonum, & malum.* Quòd ſi ad ſublimem Doctrinam famæ quoque plaudentis celebritas, hominúmque favor accedat, ei ſimilis, qui ubique comitabatur Suarium; tunc enim verò novis fatendum eſt congeminari incrementis voluntariæ ſubmiſſionis difficultatem, ac pretium: Divóque aſſentiendum Bernardo, cujus judicio *magna, & rara virtus eſt humilitas honorata.* Hanc igitur arduam in primis virtutem paraturus ſibi Franciſcus, omne ſtudium, atque operam, in penitiſſima ſuimet cognitione aſſequenda, ponebat. Cúmque aliquando Conimbricenſi à Doctore familiariter interrogatus fuiſſet, uter DEO plùs deberet, Philippus ne Rex, cui ſceptrum, & Diadema; an ipſe, cui ſapientiæ claves obtigerant? modeſtè ſapientérque reſpondit, illum maximè omnium Divinæ obſtrictum liberalitati eſſe, qui pleniorem ab ea ſui nihili notitiam acceperit. Et ſanè, arcano illuſtratus fidei lumine, tanquam merum ſe nihil ſpectabat, omnibus iis, quæ circumferret, ornamentis à pia conveſtitum Creatoris beneficentiſſimi manu. Qua ex cogitatione tam abjectam opinionem ſui hauſerat; ut Conimbricenſis dictitaret Epiſcopus, neminem ſe alium noviſſe; qui, communi adeo æſtimatione conſpicuus, ſuo in tantum ſe judicio deprimeret.

Nec

Nec paucis, aut obſcuris intimum hunc ille animi ſenſum documentis exhibuit. Mittendi Romam erant ex Luſitanis Patribus duo, qui Generalibus intereſſent Comitiis, novum, extincti nuper Claudii Aquavivæ loco, Societati caput daturis: Rectórque Conimbricenſis Collegii, perquam dignum id Suario theatrum, ac negotium exiſtimans, quæſivit ex homine, libenterne Romam illa eſſet iturus de cauſa? Cui modeſtiſſimus vir, conceptam animo admirationem exteriori habitu præferens, *ſi opus tibi aliquo eſt Pater*, reſpondit, *quem culinæ* „*miniſteriis* addicas, meâ liberrimè operâ „utaris, gnarus, & ejuſmodi me ad munus „apprime paratum, & nulli alteri idoneum. Accidit ſæpe numero, ut celebrari ſe audiret, tanquam qui Societatem præclarâ ſuorum librorum luce illuſtrâſſet: illiúsque tunc reſponſum, ſyncero animatum ſuſpirio, ſolebat id eſſe, in Societate ne coqui ſe quidem officium mereri.

Amicorum non nemini candidè aperuit, tot inter, quibus affectus fuerat, honores, nunquam ad animum ſuum penetraſſe vel tenuiſſimam inanis gloriolæ dulcedinem. „*Nàm* „ *Ruſticorum,* ajebat, *complures*, *ſi par vacandi* „literis otium, &, quæ mihi obtigerunt, „ſtudiorum adjumenta nacti eſſent; ampliores „multò in Doctrinis habuiſſent proceſſus. Cùm ſcho-

ſcholaſticis diſputationibus præerat; Oraculi ſemper famam ipſoſmet apud Magiſtros obtinuit. Affirmabat tamen, ad ejuſmodi quoties vocaretur aleam; terrore ſe undique, non ſecus, ac Tyronum è numero quempiam, impleri, Deíque præſens auxilium expoſcere, ne Societati, eo in munere obeundo, dedecori eſſet. Verum plùs nimiò quotidianus vitæ uſus demonſtrat Poëtæ illud veteris dictum, *Qui velit ingenio cedere, rarus erit.* At Suarius non ſemel diſertè fateri eſt auditus, Gabrielem Vaſquium, & alios plures, qui per id tempus in Societate florebant, Magiſtros longè ſibi anteſtare cenſu ingenii, ac doctrinæ. Nonnulla, quæ ſibi inter ſtudia meditanti occurriſſent, communicare privatim ſolebat cum Auditoribus ſuis, eorum ſententiam, & judicium exquirens: cúmque recognoſcendos ad Præpoſitum Generalem, quos prælo ſubjecturus erat, mitteret libros; ſi fortè ii (quod non raro eveniebat) ſuorum olim Diſcipulorum permitterentur examini, ne dum non iniquè id ferebat; ſed & delectos hujuſmodi ſubmiſsè precabatur cenſores, in ſuis obſervandis ut erroribus curam intenderent: nec unquam ad mutandum, delendúmque, ſi quid minùs probaretur, ſe difficilem præbuit.

Ex ſui æſtimatione tam vili, támque penitùs animo impreſſa, ſumma (quod conſe-

quens

quens eſt) erga alios manſuetudo exiſtebat: neſciente cuipiam iraſci, qui omnibus poſteriorem ſe ducit. Quamobrem cœleſtis Magiſter voluntariam nobis humilitatem, unáque manſuetudinem, ceu arctiſſimo invicem Parentis, ac filiæ nexu conjunctas, propoſuit, cùm diceret, (a) *Diſcite à me, quia mitis ſum. & humilis corde.* Et Suarius quidem adeo in hoc genere excelluit; ut nunquam in eo livoris, iracundiæque veſtigium deprehenderes. Obſervabat omnes, omnibus tribuebat laudem, nec unquam leniſſimo illo ab ore vox excidit, quæ injuriæ, oblocutionis, aut aſperitatis vel minimam ſpeciem referret. Si quando, inter diſputandum, Adverſarius ſeu objectæ difficultatis nodum nequaquam ſolviſſet; ſive extra chorum ſaltaret, quæque ad propoſitam rem minùs faciebant, importunè obtruderet; non ideo ille caput quaſſare, non geſtu ad ludibrium compoſito alienam inſcitiàm traducere, non riſu contemptum præſeferre, aut falſum, & ineptum, quod audierat, clamare: ſed, omnem in ſe culpam detorquens, rem ſibi captu arduam videri, nec pro ſua tarditate illam aſſequi poſſe dicebat.

Par tolerantia in excipiendis offenſis. Doctor neſcio quis illius opinionem ſuis in ſcriptis commemoraverat, ínque voces contume-

(a) *Matt. 11.*

tumelioſas effuſus, puerilem vocarat. Non defuit, qui rem ad Suarium inconſultò quodam ſtudio perferret: ſed, cùm eum acriter huiusmodi nuncio commovendum putaret; nihil, niſi frigidè & ſedatè, reſpondentem audivit, Doctoris ſe illius ſcripta nequaquàm vidiſſe. Cujus tolerantiæ piam admodum rationem non nemini attulit; ſciſcitanti, quì tandem ita immotus ad aliorum petulantiam duraret? Nimirum triſtius multò eſſe reſpondit afficere, quàm affici injuriâ: ſeque adeo plùs angi ob gravem adverſarii lædentis noxam, quàm propter ſuum leve, & exiguum, dum læderetur, diſpendium. Amanuenſis externus, qui octo illi annis ſuam navavit operam, juratus confirmavit, ſe, licèt plurifariàm ſcriptoris in officio delinqueret; nunquam eum tamen iracundiâ commotum vidiſſe: cùm omnis negligentiæ caſtigatio has duntaxat intra voces conſiſteret. *Hoccine, fili, rectum? Hoccine approbandum videtur?* Tot inter familiares, & aſſiduas ægritudines corporis, valetudinarii ſæpè auxilio indigebat: & quàmvis, qui pertinaci prolixâque invaletudine conflictantur, moroſi plerunque eſſe ſoleant, faſtidiiſque, & intemperiis ſcatere; nihil ipſe, quod ex debita ſibi cura præteri-

M tum

tum foret, cum querelis requirebat aut ſtomacho: quin, ſerenum perpetuò retinens vultum, adminiſtros ultro excuſabat, & pro minimis quibúsque ſibi impenſis officiis, perinde quaſi mera præſtarentur ex liberalitate, gratias agebat.

Jam verò qui ſe ita deſpexerat; næ is minimè poterat ſibi honores perquirere, eorúmque ſeu deſiderio, ſeu dulcedine impelli. Celebrem in Caſtella Divini verbi præconem, cùm nonnullos Suarii legiſſet libros, contrahendæ cum illo neceſſitudinis ſubiit cupiditas. Ad eum ergo profectus, ſplendidâ, & illuſtri verborum pompâ illius cœpit literaria monumenta exornare: hoc aditu ſcilicet in hominis gratiam, & animum perfacilè admiſſum iri ſe ſperans. At ſecus omnino res cecidit. Franciſcus quippe, ſuarum, ut qui maximè, laudum impatiens, moleſtiſſimo ſermone præciſo, jejunè admodùm, & tantùm non inofficiosè à ſe illum dimiſit: ſerò denique edoctum, Sanctorum benevolentiam virorum malè aſſentationibus quæri: blandiſſimâ quidem vulgaribus illiciendis animis eſcâ, ſed quæ ſolidas, & altè ſubductas in cognitionem ſui mentes avertere magìs valeat, quàm capere. Idem gloriæ faſti-

faſtidium Sebaſtiano quoque Moralio palàm fecit; quo ad ſacras confeſſiones utebatur Conimbricæ: homini tam eximiæ virtutis, ut demortui capillos, & veſtes, ceu ſacra quædam pignora; & Sanctitatis reliquias, venerantium pietas in funere abſciderit. Hic de Suario, cujus in conſcientiæ latebras pro ſuo munere admittebatur, ampliſſima quædam ſub obſcurè innuebat, nunquam idoneas inventurum ſe voces affirmans, quibus rara, & ſublimia à Deo impertita ipſi dona explicaret. Quod ubi reſcivit Suarius; ceu palmari affectus injuriâ, & graviter cum homine expoſtulavit; & perſeverè illum vetuit quidquam ejuſmodi de ſe inpoſterum hiſcere. Quanquam eâ denunciatione ſuo potiùs conſuluerat viventis pudori; quàm poſthumam prædicationem vitaverat: ni Deus, illius (ut pia nonnullorum opinio fuit) modeſtiæ obſecundans, maturato Moralii exceſſu, omnem ipſi exemiſſet metum; ne ſuperſtes Confeſſarius arcanas ſui animi prærogativas in medium proferret. Jure igitur Ferdinandus Martinius Maſcarenia Algarbiorum Epiſcopus, honorifico approbans ſcripto, quem contra Anglicanæ Sectæ errores ille Librum condiderat, longè magnificentiùs ejuſdem com-

mendaturum ſe merita profeſſus eſt, *niſi obſtaret graviſſimi Patris nota modeſtia, quæ ſolet elogia putare jacula, encomia vulnera, hoſtes habere laudatores.*

Parum tamen Suario videbatur honores repellere, niſi quaslibet etiam ſui deprimendi occaſiones captaret. Cernere illum erat in communi ſæpè triclinio deoſculandis advolvi Sociorum diſcumbentium pedibus. Quin & iiſdem, quâ tranſituri erant, toto corpore humi pronus, conculcandum non nunquam ſe dabat. Dum per vires licuit; in oblectamentis habebat culinæ vaſa purgare, ſcopis domum everrere, & aliis hoc genus miniſteriis defungi, tanquam ſi eorum gratiâ Societati nomen dediſſet. Propoſitas ſibi privatim de conſcientia quæſtiones extemporali plerunque reſponſo potuiſſet diſſolvere: quibus tamen expediendis ſolebat aliquid otii depoſcere: idque non tam illius tribuebatur prudentiæ, quàm humilitatis ſtudio, gregarii & tardioris ingenii famam artificiosâ cunctatione aucupanti. Nervorum imbecillitate adigebatur interdum, opportunis crura balneolis fovere: qua in re Socii operam admittebat, ita tamen, ut eandem ipſi ſtatim rependeret, atque in genua procumbens illi-

us

us viciſſim pedes ablueret. Nec obniti, & reclamare alteri proderat. Charitatis enim ipſe officio perfunctus, demiſſionis mox partes Suario cogebatur relinquere.

De Afflictandi Corporis Studio.

CAPUT XIX.

NOn hìc mihi propoſitum, quæ ad ſubigendas perturbationes animi ſpectant, colligere: cùm hactenus dicta liquidò oſtendant, eas in Suario non domitas tantùm, ſed extinctas quodammodo, ac propè nullas fuiſſe. Sola igitur in corporis vexatione immorabor, maximi ſemper viſa hominibus ſanctis momenti: beatiſſimum nempe illud exercentibus adversùs ſe odium, quo (a) *qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.*

Hoc erga ſeveritatis genus impensè afficiebatur Franciſcus, ſuóque morem animo gerens totum profectò exhauſiſſet, quem cœleſtis olim medicus Zebedæi filiis propinaverat, calicem; ſed tenuis naturæ habitus, gra-

(a) *Joan.* 12.

via valetudinis detrimenta, perpetuíque ſtudiorum labores impedimento fuêre, quominùs piæ ardorem ſævitiæ in totum expleret. Nec parvo quidem tempore hæc illum deliberatio incertum atque ancipitem habuit: recurrente identidem metu, ne (quemadmodum ex eo pluries auditum eſt) ſub neceſſitatis obtentu, deliciis, & voluptati ſerviret. Donec à Viro eximiè pio, cujus conſilium petierat, re maturè perpensâ, cœleſtíque ad eam lumine implorato, admonitus per literas eſt, Deum ab ipſo non ſanguinis, ſed atramenti vectigal requirere. Ne igitur alterum pro altero ſacrificium ſupponeret: neu immodicâ vexatione jumentum conficeret, à quo Chriſtus erat in triumpho geſtandus. Hoc enim quaſi oraculo accepto, priſtinas ſolicitudines ex animo denique ejecit, ſtudiúmque Literarum Crucem eſſe conſtituit, quam præcipuè amplexari, & cui ſeſe Divinum ad obſequium deberet viventem hoſtiam ſuffigere. Et verò, quisquis ritè rationes ſubduxerit, non facilè durioris vitæ genus inveniat, quàm quæ anguſti inter conclavis parietes aſſiduè concluſa, omnibúsque à genii oblectamentis remota, diurnis, & nocturnis ſtudiorum curis, tacito quaſi Limæ

mæ morſu, paulatim atteritur. Nempe hæc illa eſt, quam Eccleſiaſtæ oraculum[a] *occupationem peſſimam* vocat: hoc illud ævi ſepulcrum, quo qui infodiuntur, macie palloréque obſitos, viribus exhauſtos, & quasdam veluti hominum umbras aſpicimus: hoc demum animi corporísque jugum adeò permoleſtum, & grave; ut, qui eo preſſi aliquandiu fuere, nullis non artibus illud excutere, tanquam perferendo impares, quærant, & quidquid deinde novi oneris imponatur, ceu levem præ illo ſarcinulam, erectis cervicibus gratulantes lætique ſuſtineant. Atqui Suarius dimidium planè Sæculum hoc perduravit ſub jugo: quod torcularis ponderoſiſſimi inſtar adeo multa, atque vaſta illius ex ingenio expreſſit volumina; ut vel ſola eorum Lectio non exiguam mortalis ævi partem abſorbeat. Adde huc quotidianam, adeoque prolixam Divinis in rebus mentis contentionem. Adde perpetuas ad quoslibet animi motus in officio continendos excubias: Adde exactiſſimam Legum domeſticarum, & religioſæ totius diſciplinæ cuſtodiam: ejuſmodi ſanè omnia, ut vel ſeorſim ſingula illud implere poſſint Martyrium, quod à D. Bernardo ap-

(a) *Eccleſiaſt.* 1.

pellatur *aſperitate quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* Certè his ex Laboribus eos Franciſcus contraxerat morbos, qui audiri æſtimaríque citra miſerationem haud poſſent: acres nervorum, capitis, ſtomachi, dentium dolores, inexhauſta redundantis pituitæ profluvia, totius languorem corpuſculi, & immanem poſtremò ſævientis in viſceribus calculi lanienam.

Quàmvis tamen pœnarum hæc, laborúmque onera ſatis vel infenſiſſimo ſui hoſti eſſe poſſent, nec vitæ innocentia graviorem à Franciſco exigere videretur ſævitiam; novis adhuc ille artibus ad corporis cruciatum ſibi utendum putavit. Hinc aſpero ſæpè cilicio nudos artus præcingere, éque ſtratis conſurgens æreo ſe quotidie flagello inclementer contundere. Junior multorum annorum ſpatio nunquam veſtes ad nocturnam quietem depoſuit: quin eam non raro capiebat, nudis tantummodò ſuper aſſeribus cubans. Et licèt hoc rigoris imbecillum erga corpus omittere maturior ætas coëgerit: vel tunc tamen quieſcentis culcitra vix digitos quatuor craſſitudine æquabat, adeo inſuper crebris interpuncta ſuturis, ut penè cum aſſeribus de duritia certaret. Quam ille propte-

rea

rea chariſſimam habens, vel cùm ruri degeret, eò afferri curabat, tanquam pretioſum tolerantiæ inſtrumentum. Somni verò tempora, etſi, tot diurnis relaxandis laboribus, extendi benigniùs poterant; arctiora tamen communi inter nos ſpatio erant: cùm ſolidam ſtatæ quieti horam demeret, & veſpere diutiùs cæteris vigilias protrahens, & manè citiùs conſurgens. Quòd ſi prævideret, impedimenti quippiam conſueto matutinæ præcationis tempore ſibi inſtaturum; plus etiam tunc aliquid è ſomno abſcindebat, uſitatam vel ſibi evigilandi horam præveniens, ne Divinis ullum rebus periret momentum.

Ad victûs parſimoniam quod attinet, quàmvis corpore ob aſſiduam mentis exercitationem debilitato emunctóque, vernum longius jejunium, & alia per annum communi Eccleſiæ inſtituto præſcripta ſeverè in omni vita cuſtodiit, nihil veniæ recipiens, niſi præſentis morbi neceſſitas cogeret. Eodem abſtinentiæ tenore conſecratos adventu Dominico dies, alióſque tum Servatoris noſtri, tum Deiparæ Virginis, Divorúmque tutelarium anniverſariis ſolennibus prævios, nec non ſàbbatha omnia, & quartam, ac ſextam ſingulis hebdomadis ferias traduxit.

Quan-

Quanquam non multùm à vero, meâ ſententiâ, recederet, qui nullo intermiſſum die illius jejunium fuiſſe affirmaret. Longo quippe annorum curſu nihil prorſus cibi ante veſperam ſumpſit. Mox, cùm accreſcente ætate vires minuiſſent; præter veſpertinum cibatum, ad ſexdecim ferè uncias Romanas contractum, paucula panis fruſta, addito quopiam recenti, vel arido, pro anni temporibus, fructu, ſub meridiem guſtabat.

Nec veſcendi ita modicum exquiſitiores capiebant ſaporum lautitiæ. Bellaria, & ſaccari ſcitamenta, quæ ab Amicis interdum mittebantur, confeſtim valetudinario, ad Ægrorum uſus, & ſolatium, tradebat. Víxque adeo ſupremis vitæ annis multâ precum vi potuit adduci; ut non nihil ex ejusmodi copia, quod ſuæ opportunum valetudini erat, ſubinde uſurparet. Quanquam ne id quidem ſine animi morſu. Quamobrem, cùm ſocius aliquando beneficam ad Numinis Providentiam referret, quòd nunquam ſuavium id genus medicamentorum annona deficeret; *Utinam*, ſuſpirans repoſuit, *ex Dæmonis hoc veriùs providentia ne ſit, qui talibus mihi imponere conetur deliciis.* Si quando extraneorum illuſtrium hoſpitum menſis ac-

cum-

cumberet; quantocunque opſoniorum apparatu, & delectu inſtrueretur convivium; non tamen ab ordinaria ſui victûs moderatione abſcedebat, valetudinis commodum virtutis ſeveritati prætexens. Socius, qui vicenûm annorum ſpatio præſto illi continenter fuit, teſtatus eſt ſub hominis mortem, nunquam eum hoc potiùs, quàm aliud expetiiſſe genus edulii: nunquam de illorum, quæ apponerentur, negligentiori paratu conqueri auditum. Quod inſignem Viri continentiam probè demonſtrat: cùm familiare adeò ſit privatim veſcentibus (nullo nimirum, quin juſta naturæ deſideria expleant, ſingularis exempli, publicæque offenſionis reſpectu deterritis) aliquid ſibi hoc in genere libertatis permittere.

Eàdem ſeveritate ab aliis quoque relaxationibus animi ſeſe abſtinebat. Compoſtellam venerat Archi-Epiſcopi Maximiliani de Auſtria vocatu: Noſtrorúmque ibi Rector, qui aliquod in eo indicium deprehenderat non alieni à Muſica animi, Nobilis Cœnobii Virgines adiit, rogans, ut certam in diem adituro earum templum Suario id oblectamenti genus pararent. Cùm illæ annuiſſent; honorique ſibi acceſſum Doctoris tam inclyti du-

ti ducerent; Rector, quæ condicta erant diſſimulans, per ſpeciem Templi inviſendi eò ſecum hoſpitem duxit. Sed irritus conſilii fuit. In ipſo etenim præparati concentûs exordio, Suarius ab loco, ubi flexis poplitibus precabundus hærebat, ſimilis abeunti ſurrexit. Tum alteri, qui, oblatum delectationis honeſtiſſimæ fructum ne reſpueret, inſtabat; *Mea*, inquit, *jam diu delectatio, & voluptas ab uno, quanta eſt, ducitur Deo.* Hisque dictis, non ſine Sacrarum Virginum admiratione, ſe è Templo ſubduxit. Nec abſimile eſt, quod Conimbricenſi aliàs Epiſcopo dedit, reſponſum. Hic, utpote illi apprimè familiaris, à perpetua ſtudiorum contentione avocare tantiſper hominem cupiens, venationem inſtruxit, modeſtæ illam quidem, at ſplendidæ juxta, & peramœnæ jucunditatis pleniſſimam. Nullis tamen invitamentis adigere Suarium potuit, ut ſpectaculo adeſſet, alio ſe dicentem, nimiùm quàm nobiliori, veritatis indagandæ venatu aſſiduè occupari: veniamque ideo mereri, ſi ad amica tanti Præſulis munera minimè accederet.

Unum tantumodò remiſſionis genus admiſiſſe ille poteſt videri, uſitatum nimirum per anniverſarias ſcholarum ferias in villula

Colle-

Collegii ſeceſſum. Sed reverâ ejusmodi ruſticatio ad augendam potiùs, quàm laxandam Suarii contentionem valebat. Immò hac ipſâ de cauſâ furabatur ſe Urbi, ut, quò à turbis remotior, eò mentem liberiùs ſtudiis atque libris involveret. Amanuenſes ſoliti aderant, quæque uſui eſſet librorum ſupellex: nec ab inſtituta vivendi ratione, vel tantillùm mutabat. Idem vacandi Deo atque literis tempus, eædem vexationes corporis, eadem cibi abſtinentia. Ne tamen verberationis matutinæ fragor & Sociorum proximè cubantium interturbaret quietem; & aliquam ab iisdem gloriolæ ſibi auram colligeret (quibus incommodis perfacilè occurrebat Conimbricæ, in interius ſe recipiens cubiculum ex duobus, quæ per imprimendorum occaſionem voluminum, aſſignata ipſi à moderatoribus fuerant) ne, inquam, id cauſæ minùs rure jucundam illius quà demiſſioni, quà charitati ordinariam ſuimet affliĉtandi conſuetudinem faceret; opportunum vel ibi latibulum reperit: ſecretas videlicet, quas domeſtico in horto alicubi obſervarat, cavernas. Eò quippe, ſimul atque evigilaſſet, deſcendens, procul ab arbitris, ſuæ juxta laudis, alienæque moleſtiæ ſecurior, uſitatas infligebat corpori pœnas. Chari-

Charitatis etiam officiis nonnullam ſeponere conſueverat villatici hujusce temporis partem: & feſtis non rarò diebus, corpuſculi imbecillitatem animi vigore ſuſtentans, circumjectos commeabat in vicos, agreſtibus populis Chriſtianæ fidei diſciplinâ imbuendis. Quam per occaſionem duo accidiſſe memorantur, quæ illi, gentis neceſſitate ſub oculos poſitâ, novos ad pium munus obeundum adderent ſtimulos. Rem Divinam facturus, piaculari ut confeſſione animi ſordes elueret; ad loci Sacerdotem acceſſerat. Hic, eximiam Viri innocentiam admirans, de ſuo illum nomine eſt percontatus: modeſtéque reſpondenti, nil eâ opus eſſe notitiâ, inſtitit ſaltem, ut, quid officii adminiſtrabat Conimbricæ, ſibi aperiret: Cúmque ne id quidem Suarius pertinere ad Sacramentum dixiſſet; *At quando tu*, inquit, *de nomine, officióque interrogatus fateri abnuis; nec tibi ego criminum abſolutionem impertiar.* Sicque inexpiatum, averſus, reliquit. Lepidæ hoc ruſticitatis: non ferende, quod ſubnectam, inſcitiæ. Cùm alibi, poſt homologeſim coram Parochi vicario peractam, ab eo abſolvendus jam foret; animadvertit hominem, in formula proferenda, incertum memoriæ, ac perplexum neſcio

quid

quid muſſitantem, nihil legitimi validíque explanare: adeo ut neceſſe fuerit, ſolennia illi verba ſuggerere: víxque ſic demum plenam abſolutionem expreſſerit. Commotus ignorantiâ tam palmari, adeóque in publicum noxiâ, Suarius ad Parochum, quod acciderat, retulit, ſolicitè admonens, ne tanti miniſterium momenti demandatum homini vellet, à necceſſariâ illius obeundi notitiâ imparato, irritúmque adeo, non ſine gravi animarum damno, Pœnitentiæ ſacramentum facturo. Cùm, ecce tibi, rem audit multò fœdam, & abſonam magis. Nempe Paſtor egregius, facti culpam à ſe averſurus. *Non me præterit*, „ inquit, *ô Pater ſacerdotis illius imperitia, eique* „ *adeo pluries* mandavi, ne quemquam ab- „ ſolvat: ſed, audire noxas contentus, me- „ um deinde ad tribunal, qui confeſſi fue- „ rint, *abſolvendos tranſmittat.* Quid faceret, novum hoc támque abſurdum accipiens reſponſum, communis boni ſtudioſiſſimus vir? Hæſit enimvero, calamitóſam deſtituti adeo gregis ſortem ex animo miſerans: ſuíque primò erroris, in Sacramento ita perperam dividendo, certiorem Parochum fecit; mox reverſus Conimbricam, Epiſcopo rei indignitatem expoſuit, neceſſariam in periclitandis, eligen-

eligendíſque, qui Animarum præficerentur regimini, vigilantiam ſeriò commendans. Qua illius ſedulitate, præſenti obviam malo itum eſt, ac multorum propulſata pernicies: pio Antiſtite providam Patris curam majorem in modum laudante, plúſque illum ſe admirari dicente, dum primis fidei elementis ruſticorum vulgus erudiret, quàm, cùm Academicorum in conventu Theologiæ myſteria explicaret.

De Pietatis Studio Rerúmque Divinarum uſu, & temporis dividendi ratione.

CAPUT XX.

QUemadmodum ſuo tellus objectu ſolis jubar aſpectúmque intercipit lunæ; ſic terrenæ interpoſitæ cupiditates excœcare animum conſuevere, ne Divini ſólis præſentiâ fruatur. At Suario, qui per magnanimum mortalis gloriæ faſtidium, conſultiſſimúmque ſui odium, vitioſas ejuſmodi affectiones exuerat, jam nihil obſtabat, quominùs ſyncero Deum contemplaretur intui-

intuitu, eique ſe penitùs ardentiſſimâ pietate conjungeret. Eminebat hæc pietas in Euchariſtiæ potiſſimùm cultu, ut quæ cœleſtium omne genus donorum fons uberrimus eſt, pretioſiſſimúmque terreſtri in exilio degentibus amoris Divini pignus. Hinc nullo non die, modò liberum foret, ad aras operabatur, ita ſemper religiosè integrèque, ac ſi primâ quotidie hoſtiâ litaret, cùmque in itineribus verſaretur; nil penſi habebat, viæ ſpatium hac de cauſa producere: adeo ut aliquando, Ulyſſiponem inter atque Eboram, profeſto quàmvis die; ad duodecim poſſuum millia, ſacrificandi ut copiam nanciſceretur, recto à tramite abſceſſerit. Poſtremis ſanctioris Hebdomadæ feriis, non ſuſtinens beatiſſimæ hujus menſæ deliciis vel unicum fraudari diem, facultatem petebat ad quoddam ſe transferendi extra Conimbricam Templum, ubi ſacra per id tempus celebrabantur Myſteria, eáque coram inopi turba eximio peragebat cum animi ſenſu. Quod ſi ſabbatho glorioſam Chriſti anaſtaſim præcurrente publicâ exequi ceremoniâ rem Divinam minimè poſſet; ejusdem privatim faciendæ à Pontifice impetraverat veniam. Hujusmodi quippe erant munera, ad quæ ſummorum Antiſtitum gratiâ, & benignitate uteretur. Sed, verum ut fatear, nihil eſt quòd miremur tanto illum Divinæ hujuſce dapis deſiderio flagrâſſe:

cùm pleniſſimam inde cœleſtis copiam dulcedinis traheret, quam oris ſpecies vividior, & novâ quâdam alacritate prægeſtiens apertè indicabat. Quocirca, cùm neſcio quis commiſerari ſe illius vicem oſtenderet, tanquam moleſtum in quotidiana prolixáque adeo ſacri miniſterii celebratione onus ferentis; ſtolidam hominis miſerationem non ſine ſtupore excepit, nuſquam alibi tantum ſe, reſpondens, jucunditatis fructum, párque animi oblectamentum percipere.

Quo Cœlitum Reginam proſequeretur amore, & obſequio, jam alibi ſatìs retulimus. Hæc illi patrona erat, hæc Domina, & Parens Ipſam animo aſſiduus revolvere, de ipſa ſemper libentiſſimè loqui, ipſius dignitatem, & gloriam, quo ad voce, quoad calamo poſſet, latiùs extendere. Angelorum quoque cultor eximius fuit, eorúmque laudes proprio, atque inſigni eſt complexus volumine. Nec minùs ardenter ſanctiſſimum Chriſti Præcurſorem Joannem, & Joſephum Deiparæ ſponſum venerabatur, proùt ex ijs conjectare fas eſt, quæ de utroque Literis prodidit. Nam de D. Thoma ſupervacuum videtur argumenta congerere: quem ſibi ille non Doctrinarum magis, quàm virtutum præceptorem delegerat, quémque felici adeo ſimilitudine expreſſit; ut pulcher-

cherrimas inter Angelici illius exemplaris imagines connumerari jure optimo poſſit.

Jam Divinæ conſuetudinis maximo capiebatur ſtudio: illius videlicet fomite excitari, atque augeri Charitatem intelligens, qua ſine, pro inſcitia ſtultitiáque habenda ſit humanæ quævis ſcientiæ amplitudo. Idque adeo in familiari aliquando ſermone approbavit, cùm diceret, ſi Divina inter, orandi, & ſciendi chariſmata ſibi optio daretur; nihil ſe interpoſiturum deliberationis, ac moræ, quin primum confeſtim eligeret. Cui dicto aliud ſubjecit, multò etiam ad cœleſtem ipſius ſapientiam conteſtandam præclarius, & omnium in animis mentibúsque altè inſculpi digniſſimum: *Et „ quidem* non exiguâ illâ ſolùm, quam Divino „ aſſecutus ſum munere; ſed & universâ, qua „ reliqui omnes mortalium decorantur, ſcien„ tiâ exui libentiſſimè malim; quàm unicam „ ſtatis cum Deo agendi temporibus *horam de„ trahere.*

Denos quotannis dies in ſpiritualibus Beati Patris Ignatij exercitationibus nunquam intermiſsâ conſuetudine ſolebat traducere, illud ſibi tempus ad animi delicias, & laborum requiem ſeponens. Quod ut pacatiùs, & fructuoſiùs exigeret; aſſuetum primò cubiculum alio quàm maximè ſecreto aviòque mutabat: nullâ re ſecum invectâ, præter ſolennium co-

dicem precum , pij quempiam argumenti libellum, & ſacras Chriſti è cruce pendentis, integerrimæque illius Matris imagines. Tum ibi concluſus , adeo ſe totum cœleſtibus æternísque volutandis tradebat ; ut manè ſtatim atque ſurrexiſſet à ſomno , continuas tres horas in ea mentis occupatione duraret, párque eidem ſpatium à prandio tribueret. Alta interim cæterarum oblivio curarum : & Collegij Janitori ſeverè interdixerat , ne quid ſibi omninò nuncij à quoquam perferret , veluti extra humanas res poſito. Cùmque aliquis ita deliteſcentis oſtium non nunquàm pulsâſſet, de gravi eum negotio compellans , illud ſibi , reſpondit, negotium uſitato in conclavi relictum , & tunc demum curæ , poſtquàm eò remigrâſſet, futurum.

Extra verò hujusmodi tempora, nullo non manè ſeſquihoram , ut minimum , cæteris quibusque occupationibus antevertens , in perattenta rerum ad æternam ſalutem ſpectantium cogitatione ponebat. Ut minimum , inquam : Feſtis enim diebus, qui Chriſti Domini, Deiparæ Virginis , ac cœlitum tutelarium memoriam anniverſariâ celebritate referrent , quotidiano demenſo ſemihoræ inſuper ſpatium addebat : uſque eò hujuſce conſuetudinis retinens ; ut additus ipſi á moderatoribus ſocius, ne momentum quidem aſſignato rebus Divinis tunc

tunc tempori ab eo unquam decerptum fuiſſe tradiderit. Quâ verò tunc Numinis indulgentiâ uteretur, quos Divinæ Lucis radios, & charitatis ardores animo hauriret; non meum eſt narrando adæquare: cùm ipſemet, qui ei à conſcientiæ ſecretis erat, idoneam tot Divinis explicandis muneribus ſuppetere ſibi orationem, negaverit. Legantur, quæ hoc ſuper argumento ipſemet conſignata reliquit in ſecundo de virtute Religionis volumine; pronum illinc erit colligere, quàm penitùs Divinam admiſſus in conſuetudinem foret, qui tam diſertè expoſuerit, quæcunque hoc de genere contemplationis ſtudioſi, experiendo, aſſequuntur.

Hinc purus, & ſublimis ille animus, aquæ hujus ſalientis in vitam æternam nunquam penitùs ſatur, præter matutina tempora liberaliter adeo commentationi rerum cœleſtium impenſa; aliam, extremo jam die, horam ſacro eidem mentis otio ſepoſitam atque addictam habebat: variis præterea, quas infra commemorabimus, precibus, laudibúsque Divinis reliquum diei tempus diſtinguens. Immò in eam conſuetudinem venerat; ut cœleſtis illud Præceptoris monitum: (*a*) *oportet ſemper orare*, aſſiduâ Numinis præſentiâ videretur implere. Quapropter cernere ipſum erat, vel cùm maximè ſtudijs literarum vacaret, ad Servatoris

 Dei,

(*a*) *Luc.* 18.

Dei ac Deiparæ effigiem oculos identidem vertere, nec raro coràm ijsdem procumbere, ut brevibus hiſce quaſi reſpirandi intervallis pios cordis æſtus eventilaret. Sed illud hic præcipuè in admirationem me rapit, impertitum ei cœlitus donum, ab eóque domeſticorum nonnulli indicatum: quòd nimirum ita potens ſui eſſet; ut, quoties, vel ſacerdotalium precum Breviarium in manus ſumeret; vel ad meditanda aggrederetur Divina, extemplo aliena quævis cogitatio illius ex mente evaneſceret: nec ulla, quæ avocare à Deo poſſet, profanarum imago rerum orantis ſe animo auderet objicere: rariſſimum enimvero munus, plurimique æſtimandum, vel in homine ab aliorum commerciis in totum ſejuncto; nedum in eo, qui literarias inter curas, Scholarúmque, & diſputationum clamores ævum continenter traduxerit.

Et quoniam Lectorum non nemo facilè, ut opinor, avebit cognoſcere, quânam Suarius ratione diei ſpatia ſolitus eſſet dividere; rem hic totam ſub oculos quàm breviſſimè ponam: illud in univerſum præfatus, parciſſimum eum temporis ſemper fuiſſe, tanquam theſauri, nullâ taxatione æſtimabilis: adeo ut Conimbricenſis Epiſcopus, quem honeſta hæc Patris avaritia nequaquam latebat, ſi quando ad Collegium accederet; illius, quàmvis opta-

pta-

ptatiſſimâ conſuetudine frui non auderet : ſed, apertis cubiculi foribus, & ſalute vix obiter dictâ, ſua hominem inter ſtudia, è veſtigio diſcedens, relinqueret. Quod igitur ad propoſitum diei ordinem ſpectat; manè quidem, ſemihorâ commune ſurgendi ſignum præveniens, acri ſe primùm verberatione perpendendis comparabat rebus Divinis: earúmque in contemplatu ſesqui horâ, nunquam breviùs, morabatur, ut ſupra retulimus: tum ſacerdotalis illam penſi partem, quæ media eſt antelucanas inter laudes, & veſpertinam Pſalmodiã, obibat. Conſecratis in hunc modum lucis primitijs, duas circiter horas exigebat legens, ac meditans, quæ vocatis deindè uno, aut pluribus librarijs dictaret: donec propinquus jam meridies matutini tempus ſacrificij advexiſſet. Tunc enim, cæteris omnibus curis valere juſſis, ad Divinum ſeſe præparabat Myſterium: eóque piè admodum & religiosè peracto, poſt repenſas, tantum quas munus exigit, gratias; in ſuum ſe recipiebat conclave: tenuiſſimo ibi victu, qualis ſub noctem capi à jejunantibus ſòlet, corpus ſuſtentans. Brevis hunc excipiebat ſuper Sella quies: quâ, recolligendas ad vires, capiti datâ, duæ mox inſumebantur horæ, Eccleſiaſticis abſolvendis illius diei precibus, texendo Divinæ Parenti ex Angelicis ſalutationibus ſerto, pio codice lectitando, &

matutinâ poſtremò inſequentis lucis Pſalmodiâ, cujus poſt alteram à meridie horam exequendæ facultatem à Pontifice acceperat. Hinc ad literarum ſtudia reverſus, quinas ferè horas, antemeridiani temporis ritu, ducebat, partim ſecum de doctrinis commentans; partim, quæ commentatus eſſet, ſcriptoribus dictans. Quo ſpatio evoluto, aliâque rurſus horâ divinarum inter rerum meditationem exactâ, frugali jam cænulæ ſuum intra conclave accumbebat: hanc etenim, viſum Præſidibus fuerat, privatim ut caperet, cùm ſtudiorum, tum valetudinis causâ. Poſtremò nonnihil moratus cum Domeſticorum graviſſimis, qui eò interim, ad pia, & erudita miſcenda colloquia, ſolebant accedere; omnibus tandem dimiſſis, cùm cœlitum Litanias, aliáſque ſibi familiares recitaſſet preces, & diurnas conſcientiæ rationes ſeverum ad examen vocâſſet; feſſos artus componebat in lectulo, ſenas vix horas nocturnæ quieti relinquens.

Sic itaque diſtributum Suarius habebat diem, aſſiduâ mentis contentione ſe exercens, atque à corporis cura, & rerum aſpectabilium uſu, niſi quantùm naturæ neceſſitas cogeret, omnino ſejunctus. Tantíque ſtabilem hunc occupationum, ac temporum ordinem exiſtimabat momenti; ut eum ſanctioris vitæ parentem vocaret. Quod ſi aut prælectiones habendæ

in

in Academia eſſent; aut extraordinariæ quippiam functionis obire cogeretur; quidquid ejusmodi avocamenta conſumpſiſſent temporis, ad ſtudiorum pertinebat jacturam; ſuo rebus Divinis ſalvo interim ſpatio: ſacræ præſertim ſub Auroram commentationi, à qua nullis omnino impedimentis ſe abduci ſinebat.

Hac porrò ex temporis partitione colligitur, novenas ferè illum literis horas, & circiter ſenas exercendæ pietati quotidie impendiſſe. Ut ſanè admirari ſuccurrat recentis confidentiam ſcriptoris: qui, credulus nimis citati à ſe hominis dicto Suarium octodecim diei horas ſolitum fuiſſe doctrinarum ſtudijs vacare, vulgavit: mox, quàm parum inde temporis, ſive ad res ſacras, ſive ad naturæ neceſſitates, ſuper eſſe, perpendens; divinantis in morem, ſubjunxit: *fortè ſingulis diebus legebat officium de Reſurrectione.* Nam neque prudens quiſquam rerum æſtimator ſibi perſuaſerit, poſſe hominem, fragilibus communis naturæ elementis compoſitum, quotidiano tot horarum labori ſufficere; & conſequens inde ſuſpicio nimiùm quantùm ſummæ accurationi repugnat, quam Suarius in quibusque adhibebat Pietatis officijs, præſertim ſi adjunctum ea præcepti nexum haberent: quo in genere vel modum videbatur excedere, ut facultas declarat, quam ad nonnullas res, paulò ante commemoratas, à Ponti-

fice

ſice rogandam putaverat. Enimvero quicunque cum ipſo familiariùs egerunt, certiores nos faciunt, in horariis eum precibus recitandis, à cæterorum nunquam ſacerdotum uſu abſceſſiſſe. (*a*) Quin ipſemet in ſecundo de Religione tomo lethalis culpæ hominem arguit, qui Pſalmos reſurgentis Dei celebritati aſſignatos, pro aliorum temporum propriis, in more haberet percurrere. (*b*) Claudat hunc locum authoritas Doctiſſimi Patris Thomæ Urtadi, ex Clericorum Regularium minorum familia: qui tomo primo de Reſidentia ſacra ſic habet. *ſine fundamento affirmat Caramuel Pa-*
„ *trem* Franciſcum Suarez, ob illam conti-
„ nuam aſſiſtentiam ad ſtudia, officium de Re-
„ ſurrectione perlegiſſe, aut omiſiſſe recitatio-
„ nem officij. Ego nihil horum exiſtimo pro-
„ babile de viro obſervantiſſimo, & valdè
„ pio erga diſciplinam Eccleſiaſticam, ut ejus
„ opera ſatis abundè demonſtrant. Quarè re-
„ citationem officij ante omnia peragebat: &
„ ſic benedictum fuit ejus ſtudium benedictio-
„ ne cœleſti; ut tot fructus in Eccleſia fecerit,
„ ſicut vident etiam Hæretici.

Ecſta-

(*a*) *Lib. 4. c. 23. n.* 14. (*b*) *Tract. de Reſid Can. Reſ. 7. ſubres. 10. n. 22.*

Ecſtaſes quædam, & alia Divinæ virtutis oſtenta.

CAPVT XXI

EA eſt immortalis animæ, quamdiu perituri corporis nexu detinetur, conditio; ut, veluti aliquid ipſa ex terrenis ſociæ partis qualitatibus trahit, juxta illud ſapientis effatum, *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*; ſic nonnihil eidem cœleſtis ſuæ indolis, & dignationis impertiat: idque tum maximè, cùm, ſummo æternóque bono intimè adhærens, humanum quodammodo faſtigium prætervehi, & neſcio quam ceu ſpeciem Divinitatis videtur induere. Cujus rei argumento ſunt circumfuſi prodigioſæ Lucis fulgores, penſilis elatorum ab humo artuum in ſublimi quies, aliáque de hoc genere admiranda & eximia, quæ ſacrorum in Heroum monumentis paſſim occurrunt, perinde quaſi felices illæ animæ, vel nondum perfunctis nativâ mortalitate corporibus futuram in anteceſſum afflarent beatitatem, & gloriam. Nec Suario cœleſtia ejusmodi ornamenta abfuère: pluribus Deo externis indiciis ſplendidas illius animi dotes prodente, vel ideo, quòd Pater pro virili occultatum eas iret. Quod tamen profeſſus initio ſum,

in

in memoriam hìc lectoribus revoco, afferenda jam exempla privatorum duntaxat authorum teſtimonio fulciri, Apoſtolicæ ſedis nec judicio perpenſa, nec ſuffragio approbata. Abſit quippe, ut ſimpliciorum credulitate ad narrationum ejusmodi authoritatem abutendum exiſtimem.

Doctor Joannes de Armida Aurienſis in Gallæcia Eccleſiæ Canonicus, & Pœnitentiarius, qui olim Suarii Amanuenſis Conimbricæ fuerat; quodam eum die, cùm à matutina rerum cœleſtium commentatione prodiſſet, viſum ſibi narrabat, domo inambulantem, uſque adeo occupatâ Divinis imaginibus mente, & à ſenſu exteriorum abductâ; ut nihil animadverteret, nec obvijs impertiret ſalutem: Novum ipſi omnino, qui cæteroqui hæc ſolitus eſſet religioſæ charitatis officia prolixè admodùm cumulatéque exhibere. Legitimâ idem teſtificatione affirmavit, ſe pluries de nocte Patris ingredientem cubiculum, quàmvis nihil ibi, præter lychnum, arderet; omnia tamen plùsquam meridiano fulgore, quémque oculis haud poſſet perferre, colluſtrata aſpexiſſe: réque cum pluribus communicatâ; nunquam dubitâſſe, quin ejuſmodi nitor naturalibus nil cauſis deberet, ſed à luminum Patre deſcenderet, tanquam interioris ſpecimen lucis, quæ Franciſci mentem complebat.

Plus adhùc videre contigit Hieronymo de

de Sylva quotidianæ operæ in Societate adminiſtro, homini probitatis eximiæ, dignóque propterea, qui ad externorum Domos ſubinde acciretur, pias recitaturus ſuper ægrotantibus preces. (*a*) Interfuit hic rei ſpectaculo, dum Conimbricæ degeret anno 1612. (*b*) ſed, quia Suario receperat, nunquam ſe illam, quo ad ipſe ſupereſſet, evulgaturum: tam inſigne verò monumentum, ſi maturiùs obiſſet, extingui ſecum nolebat; de Confeſſarij ſui Antonij Moralij ſententia, quod viderat, accuratè deſcripſit: obſignatúmque dein folium hac communiit epigraphe; *Arcana ad Confeſſionem ſpectantia, nec ante Franciſci Suarij obitum recludenda.* Verùm illa, Patri ſuperſtes, ipſemet poſtea recluſit, pluribus ſcripti ſui copiam faciens: quod & Antonius de Arana, in Franciſci vita, ſibi viſum teſtatur. Ejus porrò ſenſus, ex Luſitano Idiomate redditus hujusmodi eſt.

„ *Ego Hieronymus de Sylva ex Societate IESV juratus* affirmo, quæ hìc referentur, veritati omnia congruere, & plenam mereri à „ lectoribus fidem. Teſtor primò, cùm in „ Conimbricenſi hoc Collegio Janitoris gerere m munus, quo tempore hoſpes ibidem „ com-

(*a*) *Nieremb. l. 2. Vir. Ill. in vita Suarii.*
(*b*) *Aleg. in Bibliot. Soc. v. fr. Suar. Parva Vita Suar. ante p. t. de Gratia.*

„ commorabatur Petrus Aragonius, Jerrano-
„ væ Ducis frater, idémque Salmanticenſis
„ Rector Gymnaſij; ab eo me allegatum fuiſſe,
„ ut Franciſcum Suarium accerſerem. Ad cu-
„ biculum Patris profectus, transverſum in
„ Janua ſcipionem offendi, quem is circa meri-
„ diem, ſuo jam functus prandiolo, ſolebat
„ apponere, quò ad horæ quadrantem citra
„ interpellationem quieſceret. Cúmque or-
„ dinarium quietis tempus iam ipſi effluxiſſe,
„ & gravem exſpectandi hoſpiti longiorem
„ moram exiſtimarem futuram; obice amoto,
„ januâque reſeratâ, Patrem vocavi, ſonoro
„ quater aut quinquies pedum tractu, ut exau-
„ direr, atterens ſolum. Sed, quia ligneo re-
„ pagulo excæcatum erat prioris cubiculi Lu-
„ men; ad alterum diei pervium progreſſus,
„ cùm eadem adventûs mei ſigna edidiſſem;
„ flexis Patrem genibus, manibúſque ſublatis,
„ & nudo capite, ante Chriſti è cruce penden-
„ tis effigiem, aſpexi. Poſtquàm nihil ſenti-
„ entem animadverti; propiùs ſuccedens, ter
„ arreptum manicâ traxi: illo tamen etiam tum
„ ſilente, & immoto. Hæſi aliquantisper at-
„ tonitus ad hujusmodi ſpeciem: mox, Agui-
„ larium Patris ſocium quæſiturus, diſceſſi:
„ eóque non invento, ad fores cubiculi ſubſti-
„ ti, dum Pater eo ex mentis ſeceſſu rediret:
„ qui ad horæ propè dodrantem, ex quo illuc
primò

,, primò acceſſeram, potuit implere. Tum il-
,, li, meum priorem ingreſſum diſſimulans, qua
,, de cauſa veniſſem, expoſui.

,, Aliâ Die Aragonius eâdem horâ quæſi-
,, tum Patrem me miſit, eo comite ad ſanctæ
,, Crucis cœnobium iturus: cujus profectionis
,, tempus maturè ut ſibi ſignificarem, à Suario
,, quoque commendatum mihi antea fuerat. A-
,, dij itaque hominem (repertúmque ad fores
,, baculi ſignum, pro ea, quam ex ipſius ver-
,, bis hauſeram, confidentia, removi: & pri-
,, mum ingreſſus ſum conclave, quod tenebris
,, undique obſitum erat. Clamavi: ſed nihil
,, reſponſum eſt.) Cúmque interioris cellæ o-
,, ſtium velo obductum eſſet, per vacui aliquid
,, ſpatij, quod inter parietem, atque velum pa-
,, tebat, ingens viſa eſt erumpere luminis co-
,, pia. Pergens itaque ulteriùs, ſacra ex imagi-
,, ne ſervatoris Dei in Cruce confixi admiran-
,, dum vidi nitorem profluere, qui meos ever-
,, berabat oculos, ſolis inſtar vitreâ repercuſſi
,, feneſtrâ, nec tolerabilis, extra cæcitatis di-
,, ſcrimen. Hic fulgor totus collimabat in pe-
,, ctus, & faciem Suarij, è regione orantis aper-
,, to capite, ſuſpenſis manibus, & corpore qui-
,, nos ferè palmos à terra ſublato: ita ut Divinæ
,, imaginis, quæ ex adverſo erat, altitudinem, ac
,, ſitum æquaret. Conſtiti, penè mei impos, quã-
,, diu ter recitari Apoſtolicum fidei ſymbo-
,, lum

„ lum poſſet: mox, capillis horrore arrectis, „ extra utriusque cubiculi januam egreſſus, ad „ horæ quadrantem, & eò aliquid ampliùs ex- „ pectavi. Quo transacto temporis ſpatio, „ non nihil ſtrepitûs ad aures allabitur: &, ec- „ ce Suarium intueor, qui veniebat, baculi „ obicem à foribus ſublaturus. Accurri tunc, „ monuíque, ab hoſpite jam pridem eum expe- „ ctari: quærentíque, quid ita diſtuliſſem ſibi „ nuncium afferre? ingreſſum antea me eſſe, „ nihilque ab eo compellato reſponſi excepiſſe, „ ſubjeci. His auditis perturbatus admodùm „ eſt, brachióque me apprehenſum in interius „ conclave ſeduxit: tum ibi, manibus junctis, „ lacrymans, obſecravit, quod divino permiſ- „ ſu aſpexiſſem, ne ulli mortalium, ſe ſaltem „ vivo, detegerem: quanquam oranti dein mi- „ hi, ut meo id uni confeſſario liceret expone- „ re, non difficilè veniam indulſit, quòd eo- „ dem & ipſe ſuæ arbitro conſcientiæ uteba- „ tur: quin etiam tota de re, prior, hominem „ docuit. Isque mihi, cùm poſtea acceſſiſſem, „ mandavit, rei ut eventum eâ, quâ præſtiti, „ ratione, deſcriberem. Quæ quia ita verè ſe „ habuit; meum hìc ipſe nomen adſcripſi. Si „ viſum Domino erit, ut ante Suarium è vivis „ abſcedam; Lectorum quilibet ſcripto habere „ poterit fidem, ac ſi, quod narratur, coram „ præſens aſpiceret: ſin me contra Patri ſuper-

„ eſſe

„ eſſe contigerit; quæ teſtatus hic ſum; ſolen-
„ ni magis juramento, quandocunque uſus fa-
„ cto exiſtimetur, licebit ſancire. Ego Hie-
„ ronymus de Sylva.

Hoc ſcriptū: unde alia id genus atque alia cæleſtia charismata, quæ in illo ſecreti conclavis poſtſcenio, nemini obſervata; & nobis prorſus ignota Franciſcum ornaverint, conjectare fas eſt: quemadmodum auri venas, alto montium in ſinu reconditas, ex tenui quopiam ramento colligimus, ipſorum fortè ad radices deprehenſo. Admirandum porrò illud affixi patibulo corporati Numinis ſignum in Conimbricenſis hodie noſtri Templi veſtiario, tanquam monumentum Divinæ erga Franciſcum benignitatis, religiosè pièque aſſervatur.

Futurorum quoque notitiam famulo ſuo Deus impertitam voluit, quod munus non niſi interioribus amicis largiri conſuevit. Idque (ut Joannes Nadaſi in *Anno dierum memorabilium Societatis JESU*, ad Pridie Non. Mai. commemorat) expertus eſt P. Valerius de Ledesma, dum Theologiæ operam dabat. Etenim is cùm Indicam ſibi expeditionem à moderatoribus depoſcere in animo haberet, eáque ſuper re Franciſci, quo magiſtro utebatur, exquiſiviſſet conſilium; Divino hic lumine afflatus, author fuit, Philippinas ut ad Inſulas alacriter iret, ubi Deus illius miniſterio uti vellet; ad

Manilanum bis Collegium, & univerſam ſemel Provinciam regendam. Subſcripſit eventus præſagio, Philippinas adiit Ledesma. Manilanum gubernavit Collegium, & univerſam deinde octo annis Provinciam: perfunctúsque illo munere, Collegii, quod pridem adminiſtrarat, regimini iteratò eſt admotus, raris ubique, ad magnam illarum gentium utilitatem, refulgens exemplis virtutum.

Ex laboribus per Eccleſiaſtici Interdicti occaſionem ſuſceptis, lethalem in morbum conijcitur.

CAPVT XXII.

DUm Olyſſiponenſi Probationis in Domo, pietati totus, atque literis vacans, tranquillam, ut cùm maximè, vitam Franciſcus exigeret; accidit repentè aliquid, quod ex illo privatæ quietis ceu portu revulſum, in medios æſtuantis ſali fluctus atque tempeſtates propelleret. Generalem Olyſſipone Collectorem agebat, cum Apoſtolici nuncij authoritate, Octavius Accorambonus Foroſemproniensis Epiſcopus, Præſul nobilitate, Doctrinâ, pietate, prudentiâque commemorabilis. Hic, pro-

propter clericum in cuſtodiam abductum, moleſto certamine implicitus, poſt diutinam utrinque diſceptationem; officij ſui eſſe duxit, ut ſartam tectam Eccleſiaſticam Immunitatem haberet, ad extrema præſidia deſcendere. Et V. Kal. Quintil. anni 1617. generale adverſùs Olyſſiponenſem urbem interdictum palàm propoſuit: quosdam inſuper fori profani adminiſtros anathemate irretitos declarans. Ingens ſtatim per Urbem, ut in re nova, & atroci, tumultus: repertíque, de more, Theologorum nonnulli, qui, magiſtratuum gratiam ſibi aucupantes, legitimâ vi cenſuras carere, recludendas templorum fores, nec ſolenni æris campani ſigno, Divinâque hoſtiâ palàm litandâ, & ſacramentorum conſuetâ adminiſtratione abſtinendum, favorabili apud eos, quorùm commodis ſerviebant, oratione jactarent. At Suarius, animadversâ, quæ hujusmodi è turbis imminebat, pernicie; omnes illicò induſtriæ conatus & vires ad ſurgentis vim flammæ opprimendam exeruit: ſuíque ideo prorſus commodi immemor, ex pacatiore Tyrocinij ſede ad Profeſſorum Domum ſe transtulit, ut percelebri ſitam loco, tractandisque propterea negotiis accommodam magis.

Catholici Regis nomine Luſitaniam per id tempus adminiſtrabat Didacus de Sylva & Mendoza, Marchio Alencherii, Dux Villa-

ſrancæ, & Comes Salinenſis, non Dominij magìs amplitudine, quàm animi præſtantiâ conſpicuus: tantâ verò erga Suarium veneratione; ut inviſentis ſe ad pedes procumbere, & manum exoſculari ſoleret: auditus etiam aliquando è ſuis primùm liberis, natu jam grandem, quòd paulò remiſſior in ejusmodi obſequio fuiſſet, his planè vocibus objurgare: *Quæ iſthæc ſegnitia? Ignorasne quo locorum ſis? Age, ocyùs te in genua ſubmitte, memor, inſignis ſanctimoniæ virum adeſſe*: Móxque humi ſe abijciens, Franciſcum pudore confuſum, & ſuâ ſe humilitate involventem, ſic alloqui: *Tu verò bene utriſque, Pater, precare, quid agamus ſat conſciis, & nihil præter tua merita agentibus.* Hunc igitur ſui adeo ſtudioſum ille hominem nactus, non omittebat crebris hortatibus ad aliquam concordiæ ineundam rationem urgere: quæ præſentibus ex diſſidiis conſequerentur incommoda, Regni perturbationem, graves Dei offenſas, Philippi Regis, & Pauli Pontificis moleſtiam ante oculos ponens; idque genus argumentis ſuarum precum, ſuarum lacrymarum pondus adijciens. Sed quàmvis & tot ipſe adhiberet machinas, & Proregis animus maximo ad pacem ſtudio ferretur; quorundam tamen miniſtrorum pervicaciâ factum eſt, ut omnia in irritum caderent, nec ex communi quidquam uſu tranſigi poſſet. Quod ubi

vidit

vidit Suarius; præſumptas tollendæ contro-verſiæ ſpes coactus damnare, totum jam ſe ſe ad Eccleſiæ partes adjunxit: tum quia præcipuo ſemper Romanam erga ſedem affectus ſtudio fuerat; tum quòd illius rationum momenta nimiùm quàm oppoſitis videret præcellere. Ea propter, ſuam rogatus ſententiam, vel coram magiſtratibus, ipsóque adeò Prorege, adverſariorum cauſam apertè improbare, plenam interdicto authoritatem tribuere: nequè hac libertate contentus, doctis inſuper lucubrationibus Eccleſiæ jura tueri, literiſque ad regis Confeſſarium, & alios ex aula conſcriptis pro illius dignitate acriter niti. Unius, qua Regem ipſum adiit, Epiſtolæ partem hìc libet adſcribere, ardoris ſtudijque, quo impellebâtur, documento futuram. *Tam noxium*, nec un-„quam hactenus viſum hiſce in regnis exem-„plum hæreticis, mercaturæ huc gratiâ con-„fluentibus, animos addit, Catholico nomini „dedecoris notam inurit, omnéſque in mæro-„re habet Dei famulos, quibus cordi honor „eſt cùm Divinæ, tum Regiæ tuæ Majeſtatis: „quàm flexis ego genibus, ſupplex atque la-„crymans oro, huic, ut malo remedium af-„ferri, & diſſenſiones exortas finiri concor-„diâ jubeat: palàm omnibus faciens, quàm æ-„grè ferat Immunitatem Eccleſiaſticam lædi: „idque ſibi pro certo perſuadens, expeditiſ-

 „ſimam

„ ſimam Regiæ jurisdictionis tuendæ viam eſſe,
„ procul à vi *& injuria Eccleſiæ Juriſdictionem*
„ *habere.* Sic ipſe: cordatíſque hiſce verbis non minimùm Regem permovit, ut pia, & quæ præſens uſus poſcebat, daret mandata. Olyſſipone itidem tantùm illius authoritas potuit: ut, & plures ab oppoſita ideo ſententia diſceſſerint; & ipſimet profanarum partium miniſtri, quàmvis arreptam ſemel cauſam retinere mordicus pergerent; Interdicto tamen, aliisque cenſoriis Eccleſiæ animadverſionibus integrum obſequium deferri, ceu pios germanósque Catholicos decet, voluerint.

Interea loci Accorambonus, quæ agerentur, Pontificem per literas docens, de Apoſtolico Suarii ſtudio non tacuit; quin & pias præſenti ſuper controverſia ejusdem lucubrationes Romam tranſmiſit. Quibus Pontifex viſis, magnóque opere commendatis, hanc ad eum, non vulgaris exiſtimationis benevolentiæque pleniſſimam notis, Epiſtolam dedit.

Dile-

Dilecto in Christo filio Franciſco Suarez Præsbytero Societatis JESU, Primario Theologiæ Profeſſori in Gymnaſio Conimbricenſi, ac ejusdem Sac. Theologiæ Doctori.

Paulus Papa Quintus.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ SIgnificavit nobis Venerabilis Frater no-
„ ſter Octavius, Epiſcopus Foroſempro-
„ nienſis, & in iſtis Regnis Collector,
„ quæ tu de controverſia inter eum, & Magi-
„ ſtratus Sæculares (pacis Adverſario inſtigan-
„ te) nuper exorta reſponderis, & ſcripta etiam
„ miſit, quæ, ut tuæ multæ Doctrinæ, & pie-
„ tati conſentanea ſunt; ita fuerunt nobis ma-
„ ximè grata. Quamobrem operam tuam, ut
„ debemus, laudamus, téque in Domino
„ hortamur, ut Dei honori, atque Eccleſiæ
„ ſuæ (in qua tantùm Divinâ gratiâ emines)
„ libertati inſervire pergas. Novimus enim,
„ quantùm tua authoritas ad extirpanda zizania
„ valeat. Quod etſi futurum non dubitamus;
„ tamen noſtram Apoſtolicam Benedictionem
„ impertiendi, & paternam in te charitatem

„ commemorandi occaſionem nacti, officio
„ noſtro deeſſe non potuimus. Retribuat tibi
„ Dominus laborum tuorum mercedem. Da-
„ tum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem,
„ ſub Annulo Piſcatoris Die 25. Auguſti, anno
„ Salutis 1617. Pontificatûs noſtri anno 13.

Scipio Cardinalis ſanctæ
Suſannæ.

Non tamen Pontificiæ hoc voluntatis teſtimonio ille frui potuit, paulò ante, quàm Olyſſiponem literæ afferrentur, ad laborum ſuorum, mortiſque pro Eccleſia obitæ præmia evocatus. Mortis, inquam, pro Eccleſia obitæ: hæc ſiquidem totius fuit Olyſſiponenſis Urbis ſententia, dum talem aſpexit virum, jam ætate confectum, viribúſque inter literarios labores exhauſtis, ex umbratilis, cui aſſueverat, vitæ otio prodeuntem, in pulvere atque ſole verſari, & Magiſtratuum per Domos, quantolibet locorum diſſitas intervallo, aſſiduum diſcurrere: idque plures hebdomadas, & medio æſtatis in curſu, cujus vapor Olyſſiponenſe Cœlum vehementiſſimè incendit. Nec ſanè viri nobiles deerant, qui ſuas venerando ſeni ultro rhedas offerrent, hoc ſaltem levamine moleſtiſſimos ut labores minueret, precantes. At verus Paupertatis Evangelicæ

gelicæ amator æternorum potiùs præmiorum, quàm brevis rationem incommodi habens, eorum benignitati morem gerere animum induxit nunquam: perrexítque adeo, quanquam ægrè anhelitum ducens, ſudore diffluentes, & fractos laſſitudine artus per quæcunque viarum ſpatia, pedes, circumferre. Immo, quia noſtrorum in Luſitania mos erat, quadratum, etiam Domo prodeuntes, pileolum ſuperpoſitum capiti habere, galerum verò inter manus geſtare; ne illo quidem, quod ſocius miſeratione commotus interdum proponebat, utendum ſibi unquam, vel minùs frequentes per vias, auxilio putavit, galeri ut oppoſitu nimium capiti ſolem defenderet. Tam ſeverus, ac diligens erat in exacta religioſi decori cuſtodia: adeóque ipſius etiam minimis legibus poſthabitas ſui quaslibet commodi rationes volebat.

Sed naturæ imbecillitas animi robore ſuſtentari diutiùs haud potuit. Inflammatus repentè ſanguis: Febris valida incubuit: calculíque recruduerunt dolores, ſoliti jam à pluribus retro annis luculentam ipſi per crebra intervalla præbere meritorum, & tolerantiæ materiem. Qvæ ille tanquam evocantis Dei ſigna excepit lætiſſimus, eum inſtare jam cernens optatiſſimum diem, cui nullo ſeſe non paraverat die. Ita quippe ſingulos ſtudebat traducere, ac ſi poſtremus quilibet foret. Idqve olim familiarium

liarium nonnemini aperuit, jam jam profectu-rum ad Scholam roganti: Quid faceret, ſi divinitus compertum haberet, illius diei veſperâ ſibi fore è vivis migrandum? *Ego verò*, reſpondit, *ad Academiam, quò iter nunc eſt, uſitatam habiturus prælectionem, contenderem, nec iis, in præſenti, quæ ago, ſive detrahendum quidquam, ſive addendum cenſerem.*

Ubi decubuit, acciti continuò medicorum præcipui: nullo tamen curæ ſucceſſu. Ita quippe valetudo conciderat; ut fruſtra eſſent quævis artis auxilia, & morbi vis, altè imis recepta vitalibus, irreparabili peſte paulatim decoqueret feſſi corporis vires. Cubabat juxta ægrum per noctem valetudinarii curator, quosvis, ut ad nutus præſto eſſet, ſed nunquam eum à ſomno excitare Franciſcus ſuſtinuit, ipſemet, quanquam non ſine pergravi incommodo, ad ea, quæ opus forent, è cubili deſiliens. Quam, ne aliis oneri moleſtiæqne eſſet, curam in reliqua etiam vita ſolennem habuit: teſtatúsque adeo eſt illius ſocius, contiguo ſe in conclavi degentem, interdiu quidem ſolitum fuiſſe à Suario, pro re nata, parietis pulſu evocari: noctu tamen, toto viginti annorum ſpatio, ne ſemel quidem accitum: ut ut ejuſmodi ille conflictaretur doloribus, qui pluſquàm neceſſarium alienæ operæ miniſterium facerent. Et quàmvis idem ſocius, manè nocturnos animadver-

advertens Patris labores, de illius pluries quereretur ſilentio, oraretque, ne ſibi ita impoſterum parceret; nullis tamen evincere ſtudiis potuit, ut Franciſcus illius incommodaret quieti: ſi quid noctu gravioris moleſtiæ accideret corpori, perlibenti id excipiens amplexu, inque ſinu recondens, pretioſiſſimum veluti Crucifixi ſui Domini munus.

Eximia Decumbentis pietas, Hilaris Mors, & celebre funus.

CAPUT XXIII.

SUpplicarat Domeſticis, ut, ſi quid morbus minaretur, diſertè ſibi fidentérque aperirent. Quapropter primariis unus è Patribus, ubi deplorari cæpta eſt Ægri ſalus; medicorum ſpem concidiſſe, ſupremúmque jam ei tempus imminere indicavit. Vitæ nuncium dixiſſes accipere. Angelicâ quadam ſpecie vultum exhilarans, oculóſque ad cœlum extollens, in eas Pſalmi voces erupit: *expectans expectavi Dominum, & intendit mihi*: nec multò poſt, ceu impotenti quodam viſendæ immortalis Patriæ deſiderio agitatus, ſubjecit: *quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* His cœleſtium

leſtium affectuum quaſi flammis ſuccenſus, afferri ſibi petiit æternitatis viaticum: Divinâ illâ dape jam pluries in morbo refectus, nullóque ab ea die temperaturus, niſi pharmaca, ex medentium præſcripto maturiùs interdum ſumenda, piæ voluntati obſtitiſſent. Poſt ſanctiſſimum Chriſti Corpus magna cum religione ſuſceptum, extremo itidem oleo ad decretoriam Tartareo cum hoſte luctam poſtulavit inungi. Acceſſit Sacerdos ſuum obiturus miniſterium: ſed, tanti viri, ad ſuprema jam deducti, ſpecie commotus, adeò largos prorupit in fletus; ut vocis, ad ſacrum proſequendum officium, potens non eſſet: cùm alter, qui plorabatur, ſibi penitùs præſens, & antea recitatis ab eo precationibus rite reſpondiſſet, & ſolennem tunc formulam eidem, à flectu hæſitanti, præiret.

Huic erga Divina impenſiſſimo ſtudio, par inter febris ardores, & calculi acerbiſſimos morſus conſtantia reſpondit. Nullo queſtu dolorem fateri, ægritudinis leuamenta non quærere, non huc illuc feſſum corpus jactare: ſed, eo quieto immotóque, perinde quaſi omnis abeſſet mali ſenſus, perſiſtere. Quin admirationi ſpectantibus fuit ſingularis viri modeſtia: qui, tanto in venis efferveſcente æſtu, nunquam tamen brachia ipſáſque manus auderet exerere, ſed lodicibus obvolutas perpetuò retineret, Virginalis verecundiæ ad extremum uſque ſpiritum memor.

Præ-

Præter volumina tredecim jam publicè edita, totidem ferè habebat Prælo parata: quorum utique cura ſollicitum habere morientem poterat, ne ſecum unà deficerent ingenij ſui fætus, & tam longo concepti labore, & tantum parenti ſuo immortalis famæ addituri. Sed ſupra humiles ejusmodi curas erat, qui literariis laboribus ſuis unam tantùmmodo Numinis gloriam propoſitam ſemper habuerat: eáſque adeo lucubrationes moderatorum arbitratui uſquequaque permiſit: apertè profeſſus, nihil ſeſe percepturum moleſtiæ, tametſi pro certo ſciret perpetuæ oblivioni addicendas.

Semper ille quidem Propinquos, & ſanguinis ſibi nexu conjunctos pio illo, quod Evangelium præſcribit, odio proſecutus fuerat. Qvamobrem, cùm eorum nonnulli Domeſticæ rei difficultatibus aliquid ab ipſo opis flagitatum accederent; hortari ſolebat, ſuæ ut ſorti acquieſcerent, quæ vel ultra neceſſarios uſus fortunæ abundaret præſidiis, ſéque inopum egeſtati potiùs, ex ea, quæ ad manus ſuppeteret, copia, auxiliari permitterent. Bis tantùm ex legitimæ charitatis officio eſſe duxit, à moderatoribus veniam depoſcere, ut pecuniæ aliquid, ſuorum è pretio librorum collectæ, ad Propinquorum ſublevandas neceſſitates derivaret: ſemel, cùm eorm quispiam, ad egeſtatem delapſus, aliquot filias, jam nubiles, dote

caſſas

caſſas, moriens reliquiſſet: quas ille propterea, Religioſo in Parthenone educationis gratiâ collocatas, dotis etiam præſidio, ad earum conditionem, inſtruxit: alterâ verò vice, cùm nepoti, qui ſacerdotio auctus fuerat, præſens, ad diplomata expedienda, deeſſet pecunia: hanc enim ipſe indigenti ſuppeditavit, non aliter tamen, quàm mutuò: eámque nunc ideo, pauperum erogandam in uſus, pleraque ſaltem ex parte exigi, moriturus, mandavit.

Tametſi pauciſſimos tantùm Olyſſipone fecerat menſes; eximiæ commendatio virtutis uſque eò publicam ipſi benevolentiam demeruerat; ut perpetuo, adeuntium, deque illius incolumitate ſolicitè interrogantium, concurſu Profeſſæ Domus janua ferveret. Adfuit ægri inviſendi ſtudio præcipua Urbis nobilitas, idémque præter cæteros Prorex, de tam chari capitis jactura mœſtiſſimus. Nec ſuam Accorambonus Collector deſiderari præſentiam eſt paſſus: poſcentique Suario, ut bene ſibi precaretur; mutuas inter utriuſque lacrymas id officium impertiit. Complures quoque ex noſtro Divi Antonij Collegio ſcholaſtici, flexis juxta decumbentem genibus, inſtabant cum fletu, precantia ut ſuper ipſis diceret verba: quibus tamen modeſtiſſimus vir nunquam induci potuit, ut gereret morem, quoad, idem ſibi munus relaturos, coëgit promittere.

Digreſ-

Digreſſis, qui acceſſerant, valedicere per literas Amicorum nonnullis abſentium voluit: Joanni nempe Continio Agarbiorum Antiſtiti, & Alphonſo Furtado de Mendoza, Sigenſi tunc Epiſcopo, ad Bracharenſem deinde Archiepiſcopatum evecto, ſpectatæ probitatis doctrinæque Præſulibus: qui ambo Conimbricenſis Rectores Gymnaſij fuerant, dum Divinam ipſe inibi explicaret ſcientiam. Dictavit literas æquè comes, ac pias: ſuúmque ijs nomen adſcripſit, dexteræ imbecillitatem vi amoris ſuſtentans: ut qui mutuæ benevolentiæ, gratiæque referendæ ſemper ſtudioſiſſimus fuerat. Cujus officij cumulatam ſanè vicem recepit. Nam Continius, certior de illius obitù factus, amici deſiderium adeo graviter tulit; plures ut dies, domi abditus, in luctu, & mærore traduxerit. De Furtado verò id comperio, cùm Bracharenſis Archiepiſcopus foret; illatâ Suarii mentione, non potuiſſe à lacrymis temperare: capútque in ſpecimen obſequij nudaſſe, eodem planè ritu, quo uſus erga cujuſpiam ex cœleſtibus ſuis Patronis nomen fuiſſet.

Hæc adversùs Amicos humanitatis executus officij, Divinis ſeſe totum reſtituit colloquiis: cœleſtíſque ut amorem Patriæ foveret, atque adeo excitaret validiùs; Davidicum hujuſce argumenti Pſalmum ſibi perlegi expetiit, cujus initium: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domi-*

Domine virtutum: pluries, cum ſacro quodam animi æſtu, ceu optatæ jam beatitatis ad limen conſiſteret, *Eamus tandem Domine, eamus*, ingeminans. Alium quoque Vatis ejuſdem hymnum, *expectans expectavi Dominum, & intendit mihi*, ut aliquis itidem pronunciaret, oravit: cùmque ad ea perventum eſſet verba; *ego autem mendicus ſum, & pauper, Dominus ſolicitus eſt mei*; lætitiæ impetu abreptus, *Hoc hoc planè eſt*, exclamavit, *quod ad bene ſperandum mihi animos facit: hoc unde ſolatii plurimum haurio.*

Optabant Domeſtici, quandoquidem carendum eo eſſet; illius ſaltem effigiem habere, quæ abſentis deſiderium leniret. Non defuit pio hujuſmodi voto nobilis vir Andreas de Almada: qui, operis in ſe ſumptum recipiens, primarum ibi partium pictore advocari juſſo, quã Domi ſuæ telam habebat, D. Thomæ Aquinatis imagini deſtinatam, hunc in uſum convertit. Quod nonnullis haud myſterio caruiſſe viſum eſt: perinde quaſi Angelicus Doctor Diſcipulo tam præſtanti, quique ſuam adeo illuſtrarat Theologicam ſummam, illius vellet fructum honoris concedere. Ingreſſus cubiculum Pictor manum operi admovit: ſed, quàmvis rem furtim urgeret, multorum, qui aderant, humeris tectus; haud fallere decumbentis ſagacitatem potuit: quin, vel ipſo in mortis confinio, piam animadverteret fraudem.

dem. Queri igitur cœpit, adſtantésque obſecrare, ne ſupremam inviderent ſibi quietem: adeo ut parcendum illius moleſtiæ fuerit, & jubendus inde pictor ſecedere.

Non poſſum hic ſilentio tranſmittere ægrotantis præclariſſimam vocem. Subitâ morbi impreſſione perculſus, ſentiendi facultatem amiſerat: jámque ultimæ, ad felicem ipſi exitum impetrandum, recitabantur à ſodalibus preces: cùm, elapſo aliquanto temporis ſpatio, lethalis ille marcor evanuit: ſibíque reſtitutus æger, hilari vultu, tanquam ſi è placido excitaretur ſopore, *nunquam putabam*, inquit, *eſſe tam dulce, mori.* Quæ ſanè verba non parvo eſſe ſolatio Dei famulis poſſunt; aſſuetis id experiri, quod in Deuteronomio affirmatur, (*a*) *Inundationem maris, quaſi lac, ſugent:* dum vel extrema neceſſitas, qua nihil vulgo mortalium acerbius, tantâ illos perfundit dulcedine. Nec memorandum minùs; quod profeſſus eſt, cùm à familiari homine rogaretur, numquid eo ſibi in cardine conſcientia negotii faceſſeret? nullo quippe ſe illius morſu vellicari reſpondit, hanc afferens protinus cauſam; *quia nihil unquam, ſine auſpiciis obedientiæ, patravi.* Ut in eo & impletum liceret agnoſcere illud Proverbiorum oraculum, (*b*) *Vir obediens, loquetur victorias;* & columbæ

P

(*a*) *Deut.* 33. (*b*) *Cap.* 21.

bæ ſimplicitatem cum ſerpentis prudentia conjunctam mirari: dum; qui tantâ ingenii doctrinæque laude eminebat; ſuorum ſe præſidum voluntati tam integro conſtantíque obſequio ad ultimam usque ætatem regendum permiſit, pueruli more, nutricis ab arbitrio usquequaque pendentis.

Poſt decimum invaletudinis diem, gravis reſpirandi labor adſtantes monuit, ægrum jam animam agere. Ad ſolitas igitur extremi illius temporis reditum preces: quas dum ſocii non ſine lacrymis recitant; oculos ille in cœlum identidem allevans, tremulíſque connitens labris, Sanctiſſima JESU, & Mariæ nomina enunciare; fractis demum corporis vinculis ad perennia, ut piè fas eſt credere, meritorum ſuorum prœmia evolavit; VII. Kal. Oct. anni 1617. horâ poſt ſolis exortum ferè dimidiâ, cùm ſeptuaginta nondum expleviſſet vitæ an[illegible] ſeptemdecim primis nec integris demptis, in Religioſo omnes Dei famulatu traduxerat. Eorum opinione, quibuscum egit, quíque de illo ſcripsêre, integram Virginitatem, nullâque gravi noxâ pollutum innocentiæ candorem ad ſuprema uſque perpetuò ſervavit. Quare magnis argumentis impelli-

(a) *Vita Lat. ante tom. I. de Gratia Nitremb. T. 2. Vir Illuſtr. Aleg. in Bibl. Societ. Ludou. de Valdin.*

pellimur; ut gemino apud Superos diademate inſigniri credamus, illorum nempe choris adſcriptum, qui, & Virgines, triumpharunt de corpore, & Doctores, cœleſtibus populos erudierunt myſteriis: præter aliam eximiæ Dignitatis coronam, quam, pro Numinis gloria, & Sedis Apoſtolicæ authoritate mortem obiens, promeruit.

Ut aliquid de externo habitu referam; ſtatura illi fuit media, ſublimi tamen propior, quàm humili: corpus gracile, & expeditum; molli ſenſu, calidâ humidâque temperie. Faciem habuit oblongam, ſpatioſam frontem; rugiſque, præterquam in ſenecta, vacuam; oculos cæſios, vivaces, ad perſpiciendum acutos; os & labra decenter conformata, naſum eminentiorem in medio: non obſcurum Aquilæ inſtar agnoſceres: Jam color candidus roſeúſque, glaber capitis vertex, denſior barba, pilus ex flavo ſubobſcuro præcanus. Vultum cernere erat venerabili ſpecie nunquam non ſerenum, nulláque in eventuum viciſſitudine non eundem, ac ſimilem ſibi. Quod verò ad conſuetudinem ſpectat; Angelicos planè mores videbatur referre, prudens, ſuavis, ingenua gravitate, ſed amabili temperata, hilaris, ſed intra modeſtiæ caſtigatiſſimæ fines, humilitatem præſeferens, at unde omnis procul eſſet affectationis ſuſpicio. Ne multis:

 Ita

Ita à DEO dixiſſes compoſitum; ut nec dignum hoſpitem corpus; nec idoneum ſibi anima deſiderandum haberet hoſpitium.

Vulgatâ per urbem mortis famâ, ingens unà diditus mæror: & audire paſſim erat cujusque loci homines, *obiit Dei famulus*!: *deceſſit Regni decus*, clamantes, aliisque ſuam benevolentiam, & ſuum de illo judicium conteſtantes præconiis. Plures jam menſes clauſa interdicto erant templa, ſiluerátque æris campani ſonus, ut ut Præſules, aliique primarii viri ſupremum obiiſſent diem. At Suarii cognito exceſſu, funebria ut illi juſta publico ſolenníque ritu liceret perſolvere, plenam Illuſtriſſimus Collector ſuâ ſponte facultatem indulſit: haudquaquam conſuetis fraudandum Eccleſiæ honoribus dicens, qui pro Eccleſiæ defenſione, ad mortem uſque oppetendam, ſtrenuè adeo gnavitérque contenderat. Hac igitur promulgatâ ve[illegible], quotqu[illegible] Olyſſipone templa erant, quàmvis nemo invi[illegible]ret, lugubri ſono mortuale certatim ſignum dederunt: Nullóque item, niſi publici amoris, vocatu, ad cohoneſtandas exequias, magnâ Parentalis ſacri, & funebris laudationis ceremoniâ noſtro in templo peractas, religioſi ordines confluxêre univerſi: nec non unà cum clero Accorambonus Collector, cúmque nobilium numeroſiſſimo agmine Proregis filius, Salinenſis Comes, vicarius ſibi ſupre-

ſupremo illo in officio à Patre ſuffectus, quem podagra lecto affixum intereſſe coràm vetuerat.

Confertiſſimus aderat Populus, ſingulari tamen modeſtiâ, miróqne ſilentio: niſi quòd Patris ſapientia, charitas, aliæque commemorabantur virtutes: cùm ſinguli prope laudis aliquid referendum haberent, nec paucis tam inſignium recordatio meritorum pias ubertim eliceret lacrymas. Primo die parentatum à noſtris, è Domo profeſſa, Tyrocinio, & Collegio ad funus collectis. Proximo manè Auguſtiniani Patres, ſupplicationis publicæ pompâ accedentes, ſua mortuo ibidem perſolverunt officia: ipſo eorum Provinciali, ſacris, cum funebri cantu, operante. Tertióque mox die à Religioſis Franciſcanæ alumnis familiæ inſtauratus eſt honos: qui ad ſacrificii celebritatem integram quoque adiecerunt exequialem pſalmodiam. Solennia item pro virili parte ſuffragia Religioſorum ordinum, cæteri omnes ſuis publicè in templis offerenda duxere, idemque à Canonicis in Principe templo uſurpatum, cum Illuſtri cereorum, & ſumptuoſæ mæſtitiæ apparatu. Peractis inferiis, ſacrarum iterum ædium conquievit celebritas, redeunte interdicti juſtitio: cui tamen poſt aliquot menſes finis omnino eſt impoſitus: non exiguo Suarij promerito, qui tot implicatum tricis, atqne

ambagibus nodum, eſto, non expediiſſet; expediri certè facilem magis, ſuum per laborem, atque induſtriam reliquerat. Demortui cadaver intra arcam compoſitum (qui honor Luſitana in Provincia non niſi peregregiæ virtuti exhibetur) additâ plumbi laminâ, ubi illius nomen, unà cum mortis anno, diéque notaverant, præcipuo in ſacello Patres humârunt: iſque locus celebrari deinde à compluribus cæpit, illius patrocinio ſuas apud Deum preces adjuvari expoſcentibus, ſed inter omnes, quibus mos fuit Franciſci ad opem confugere, dignus nominatim recenſeri videtur Ægidius à Conceptione, inſignis Auguſtinianæ familiæ Theologus, qui, & Collega illius primùm Conimbricæ fuerat, & Cathedram mox ab eo ibidem relictam obtinuit. Nempe hic, pro diutina conſuetudine perſpecta ſat habens hominis merita, nullum ipſius celebrandi faciebat finem: quin quotidianis admodùm reverenter compellabat eum precibus, & cœleſtis in patroni loco ducebat.

Nec verò tantæ ſenſus jacturæ intra Olyſſiponem ſtetit: quaquaverſus per Europam ſe effudit: præcipuæque Academiæ publicis illum ſignificationibus ſibi declarandum duxerunt. Conimbricenſis ante alias, quæ, ſicuti bene longo plurium annorum uſu excellentem Suarij ſapientiam probaverat; ita ſingulari eum ſtu-

dio

dio complectebatur. Quapropter inſigni pre-ter ſolitum pompâ atque honore defunctum proſecuta eſt: Diſcipulorum multitudine, Doctoribus, Gymnaſij Rectore, Clero, Epiſcopo, & Urbis totius lectiſſimo flore ad funus celebrandum coactis. Immò, & noſtrum ibi Collegium, nonnihil, in chariſſimo ſuo alumno (an parente) condecorando, ultra religioſæ moderationis cancellos prodeundum exiſtimans; magnificum illi medio in templo cenotaphium extruxit: atratóſque circùm parietes Epigrammatis, inſcriptionibus, ſymbolis, idque genus eruditis ingenij monumentis ornavit: quæ multiplici, Hebræo, Græco, Latino, Syro, Chaldæo, & aliarum gentium ſermone conſcripta; omnium exhibebant nationum dolorem, ex viri obitu, de orbe Terrarum univerſo adeo præclarè, atque ampliter meriti.

Spectandum quoq; per hanc occaſionem ſe præbuit Ducis de Avero benevolum ſtudium: qui, ſuo, & totius Coni[illegible] Pro-vincialem Societatis orav[illegible], Franciſci ut cadaver eò pateretur traduci honorifico, quodque ipſum deceret, inferendum ſepulcro. quanquam hujusce voti compos minimè fuit: quòd & Olyſſiponenſis Domus profeſſa nimiùm quàm acriter pro tam pretioſo ſibi pignore aſſerendo certaret; nèc Provinciali videretur preſſiùs cum iis violentiùsque agere, penes

quos rei erat poſſeſſio. Magis è ſententia res ceſſit Antonio de Caſtro: qui nobilitatis ſpectatiſſimæ vir, cùm in noſtra D. Rocchi æde loculentum Cœleſti Reginæ extruxiſſet ſacellum; ut Franciſci, ſui olim magiſtri, eò transferrentur oſſa impetravit: honeſtóque in loco depoſitis, hanc, aureis notis in lapide inciſam, & lectis circumquaque exornatam marmoribus, inſcriptionem adjunxit.

DOCTORI
FRANCISCO SUAREZ
è SOCIETATE JESU
In Conimbricenſi Academia
Profeſſori primario, emeritóque,
Viro virtutibus æquè maximis,
Ac ſcientiis inſigni,
Trium ac viginti voluminum editione
Philoſophiâ ac Theologiâ illuſtratis,
Die XXV. Sept. anni M. DC. XVII.
Ad veram vitam progreſſo;
Magno Magiſtro ſuo,
Et Patri amantiſſimo
D. Antonius à Caſtro,
In amoris, & obſervantiæ
monumentum.

Non-

Nonnulla Divinitus edita illius meritorum gloriæque argumenta.

CAPVT XXIV.

VItæ ſanctimonia non videtur prodigiis ad conciliandam ſibi venerationem egere: cùm ſplendidum ipſa per ſeſe prodigij ſpecimen exhibeat, & de ſanctorum unoquoque hominum affirmari poſſit, quod de Malachia Hibernorum Epiſcopo D. Bernardus pronunciat, *Primum, & maximum miraculum ipſe erat.* Beatiſſimus certè Chriſti Præcurſor *ſignum fecit nullum*: (a) & tamen ut ipſo corporatæ veritatis ore proditum eſt, (b) *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne*: adeo ut, deducendis ab errore Judæis, ne ipſum Servatoris acciperent loco; divinæ oportuerit hiſtoriæ ſcriptorem teſtari, (c) *non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Sed quàmvis hæc verè dicantur; illud quoque ſat conſtat, uſitatum Deo eſſe, famulis ſuis, extremâ præſertim jam naturæ lege defunctis, ornamenta prodigiorum adjungere: quæ perenni de ipſorum gloria certiores nos faciant, eóſque propterea ad colendos, &, quando-

(a) *Joann.* 10. (b) *Matth.* 11. (c) *Joan.* 1.

quandocunqve uſus facto ſit, invocandos, noſtram excitent fidem. Nec expers Suarius hujuſcemodi munerum fuit. Quæ tamen antequam depromere aggredior; profitendum hic iterùm habeo, quod primi, & alterius à vigeſimo capitis profeſſus initio ſum, de authoritate, qua id genus narrationes nituntur: Lectorum benignitatem interim orans, ut repetitionis iteratæ faſtidium ſcriptori condonent: cùm hanc mihi & rei gravitas, & juſta legitimæ poteſtatis circumſpectio diligentiam præſcripſerit.

Primo itaque memorandum ſe objicit loco, quod Hieronymo de Sylva evenit, illi ipſi videlicet, qui, ut antea retulimus, Conimbricenſis Collegij olim janitor, Suarium ab humo ſublimen, & cœleſti fulgore illuſtratum aſpexerat. Iam tum ille eximiam de homine opinionem apud animum ſuum informarat, adeo ut ſublatum è vivis patroni in numero haberet, flagrantibuſque adeſſe ſibi poſceret votis, & precibus. Neque verò non præſentem expertus eſt anno 1637. cùm ex Portuenſi, ubi tum morabatur, Collegio, ab Antonio de Leyva Rectore ductus ſecum fuiſſet itineris comes. Dies ibat XI. Kal. Dec. oblatæ in templo magnæ Virgini ſacer, quem Hieronymus ſanctiſſimo quotannis Euchariſtiæ convivio celebrare ſolitus erat. Sed tum, ſolitario depre-

henſus

henſus in loco , nullam ſuppetere querebatur optatiſſimi pabuli copiam. Divino itaque actus inſtinctu , poſt Rectorem in equo præeuntem aliquantulùm hæſit : deſertúmque Eremitorium ingreſſus , piis illic affectibus intimam acuebat cœleſtis epuli famem. Cùm , ecce , præſens Sacerdotali habitu Suarius, ex priſtino ipſi contubernio notiſſimus : qui , auratam lævâ pyxidem præferens ; illius conſolandi causâ divinitus allegatum ſe dixit , ſimúlque inde promptum cœleſtis panis orbiculum eſurienti porrexit : mox , fauſta rite apprecatus , deſiit videri. Quis lætitiam ſtuporémque boni ſenis tanto ex munere valeat referre ? Gratiis peramanter Deo actis , ſe itineri reddit , & comitem jam diu expectantem aſſequitur : divinum tamen munus omnino diſſimulans , nec , quàmvis ſeverè de prolixa adeo mora objungaretur, illius cauſam aperiens. Sed reverſo domum Rectori en epiſtola affertur religioſæ cujuſdam ex D. Claræ inſtituto mulieris , quæ , raræ virtutis ergò , peculiari Numinis indulgentiâ utebatur. Ea porrò Hieronymum de Sylva enixè commmendabat ; ut qui magnis itineribus in perfectionis progrederetur curriculo , Divinæque menſæ deliciis per Franciſcum Suarium , cœlitus propterea delapſum , XI. Kal. Decem. fuiſſet refectus. His Rector auditis , pro poteſtate hominem jubet , quidquid eo ſibi evene-

rat die, in medium proferre : qui, latendi jam impos, rem totam, prout à nobis deſcripta eſt, enarravit.

Reſtitutâ quoque corporibus incolumitate famuli ſui merita declarare interdum Numini placuit. Teſtimonio eſt, quod Gerundæ in Aragonia accidit: ex ipſa hìc reddendum epiſtola, quam noſtræ Societatis ſacerdos, rei conſcius, pridie Non. Dec. anni 1658. ad Joannem Baptiſtam Vivetum, Barcinonenſis Rectorem Collegij tranſmiſit. Sic igitur ibi eventus perſcribitur. *Sub diei veſperam, quæ S. Andreæ feſtum* præcedit, accitus ſum ad ſe„minarii Magiſtrum, morti jam proximum, ut „de peccatis ſupremo in cardine confitenti au„res darem. Adij, ſacróque ille ſtatim in„unctus eſt oleo. Magnâ noctis parte apud „ipſum exactâ, ſuperfuturum in ſequentem „diem credidi: quo circa Collegium repetij: „ſentiensque me impelli ad aliquid illi afferen„dum ex Franciſci Suarii reliquiis; ſanctiſſi„mam Dei Parentem, Divúmque Ignatium „precatus ſuppliciter ſum, ut, augendæ noſtri „eximij Doctoris gloriæ, conclamata mori„turo jam homini ſalus, eo ſequeſtro, rediret. „Mirum dictu: manè tempeſtivus ad Ægrum „reverti, ſignatámque Suarij autographo ſche„dam magna eidem impoſui cum fide. Nec „mora: exclamantem protinus audio: Revi-

„xi,

,, xi, vitæ ſum redditus, Pater Suarius me præ-
,, ſens inviſit. Obſtupui ad hûjusmodi voces:
,, reique novitate attonitus, & tanti ſucceſsûs
,, lætitiâ penè à ſenſibus abalienatus hærebam.
,, Gratulatum venêre amicorum nonnulli. At
,, ipſe priſtinas ingeminare pergebat voces, re-
,, divivum ſe ſe, & Suarium ſibi viſendo adfuiſſe
,, confirmans. Moratus ibidem ſum ad meri-
,, diem perſpiciendi gratiâ, quinam rei foret
,, progreſſus: isque adeo è ſententia fuit; ut
jam æger è ſtratis emerſerit, totúsque in *præ-*
dicandis ſit ſoſpitatoris ſui laudibus. Hæc ea-
rum literarum ſententia.

Perpiniani, ſub dimidium Decembrem anni 1671. gravi ex morbo decubuit Doctor Joannes Giraus, beneficiarius Principis ibi templi Sacerdos: qui, torridâ febri conſumptus, & pertinacis catarrhi vi oppreſſus, IV. Non. Jan. Sacro ad ſupremum iter muniendus viatico fuit. Ita jacenti, atque humanis deſtituto præſidiis Suarium invocandi obortà mens eſt: & Patrem Antonium Deſcampium, perſibi familiarem, noſtro accerſiri ex Collegio mandavit. Commodùm eandem hic quoque per ſeſe cogitationem fuerat ingreſſus: adiénsque ad Ægrotum, author homini fuit, ut promiſſo ſe obſtringeret, ſi Suarij ope convaluiſſet; curaturum illius imaginem pingi. Poſt editum votum, eâdem febris nocte deceſſit: in-

ſoli-

ſolitiſque auctus viribus, per ſeſe jam Æger; ac nullo incœpit labore lentam illam pituitæ colluviem egerere, cui à pectore faucibúsque evellendæ, quibuscunque adjutus remediis, anteà non erat. Sic breve intrà tempus integræ valetudini redditus, promiſſum perſolvit; ſuâquemet manu rei ſeriem deſcripſit, acceptam Suario ſe vitam referre conteſtans; illiúsque deinceps cultor præcipuus.

Victoria Corneta, Iſidori Corneti Manreſano in agro coloni uxor tetro laborabat ex ulcere; quod virulentam ſaniem effundens; acri cùm doloris ſenſu crus dextrum inſederat: nec ei mitigando ſive tentata medentium auxilia, ſive nuncupatæ Divorum pluribus preces profuerant, cùm Suario nimirum deſtinata divinitus foret contumacis vitij depulſio. Aderat illius imago in cubiculi pariete ſuſpenſa: quam infelix mulier aſpiciens; Venerabilis viri opem ſuppliciter imploravit. Et precibus quidem non irritis; inſecuto ſiquidem die jam ulcus penè ad ſanum coierat, paucos certè intra dies nullum fuit: magnâ cum ægrotantis lætitiâ, quæ collatum ſibi munus coram certis teſtibus legitimè expoſuit: ejúsque narrationem; ſolenni juramento ſancitam, in Epiſcopalis curiæ acta referri Didacus Aldebus; primatii Manreſani Templi Decanus, curavit, & noſtri ibidem Rector Collegij Romam tranſmiſit.

Acce-

Accedat huc & aliud exemplum, ex libro de viris illuſtribus Societatis Gallicè ſcripto, & Toloſæ Typis impreſſo. Hujus tamen, quòd certi nihil teſtimonii noſtro in Romano tabulario repererim, fidem penes authorem relinquo, hominem ex noſtra Societate: cujus & nomen hic adderem, niſi ab eo, ſeu per humilitatis ſtudium, ſine alia de cauſa ſuppreſſum fuiſſet. En ipſa, quibus factum prodidit, verba: *Noſtrorum in Luſitania quidam, qui jam diu occulorum uſu prorſus caruerat, invocato Franciſco Suario, videndi facultatem continuò recepit: idque ipſemet in Epiſtola ſua, anno 1617. ad Societatis Præpoſitum Generalem conſcripta, affirmavit.*

Quæ de illo Communiter hominum exiſtimatio fuerit: ejusdémque librorum index & pretium.

CAPVT XXV.

INſignis virtus, atque excellens doctrina præcipua duo ſunt veluti fundamenta, quibus innixa ſublimis ſolidæque gloriæ altitudo conſurgit. Utroque nomine amplissima hominum & promeruit, & retulit Suarius judicia.

Ad opi-

Ad opinionem virtutis quod pertinet; ſatis eſt memoriâ repetere, quæ toto ſparſim in opere hujus generis argumenta protulimus: ut vix Sacerdotio initiatus Spiritualibus Domi rebus juſſus fuerit præeſſe, ſingularibus explicandi-, quibus à Deo exornatus fuerat, prærogativis, & donis: ut Luſitaniæ Prorex ad oſculandam ipſi manum in genua venerabundus ſoleret procumbere: præterea illuſtre de ipſo Didaci de Ocampo, aliorúmque, quos Segobiæ Auditores habuerat, teſtimonium: inſuetum concurſum, atque ſenſum pietatis, quo ei publicè eſt parentatum: Conimbricenſis Urbis ſtudium in illius cadavere, tanquam inſignis pretii Theſauro, expoſcendo: venerationem poſtremò, qua complures defunctum, uſque ad concipiendas ipſi preces, implorandúmque illius patrocinium, ſunt proſecuti. Sed neque alii deſiderantur, qui commemoratæ hactenus gloriæ novum, ac ſplendidum ſui judicii corollarium adjungant, locupletiſſimi teſtes. Andreas de Almada, vir juxta genere, doctrinâque nobilis, Suarii cùm nomen pronunciaret; venerationis ergo ſolebat ſibi caput detegere. Dionyſius de Caſtrada, Villafrancæ in Caſtella Abbas, quoties de illo ſermo haberetur; à lacrymis temperare non poterat, nec eum unquam ſine prævio Angeli titulo nominabat. Sebaſtianus Barradius, Aquilenſis Epiſcopus; aliíque

aliique plures graviſſimi Viri, eum doctrinâ quidem maximum; ſed multò etiam virtute majorem vocare conſueverant. Denique Meneſius, fidei Quæſitor; tanti hominem faciebat; ut ſub velo quopiam habendum ſæpè affirmaret; populóque per intervalla oſtentandum; quo pacto ſacra interdum pignora, & Divorum reliquias publicam ad venerationem produci mos eſt.

Jam verò ſcientiæ opinio uſitatos longè fines tranſgreſſa eſt: cùm compertum ſat foret; divinitus homini impertitam fuiſſe, quâ excellebat, doctrinam. Huc illa; quæ alibi memoravimus; pertinent: quòd Gregorius XIII. Pontifex maximus primam illius Romano in Collegio prælectionem ſuâmet condecorandam præſentiâ putaverit: quòd Paulus V. ſummus item ſacrorum Antiſtes; penes ſe illum, ac Pontificiis in ædibus habere exoptarit, graviſſimis pluries in cauſis ad defenſionem Eccleſiæ adhibuerit, literiſque adeo peramantibus; & honorificis fuerit dignatus: quòd Philippi duo Hiſpaniarum Reges, ſecundus; ac tertius; tantopere ſoliciti fuerint, alter de illo primaria in Conimbricenſi Cathedra collocando; alter de eodem ipſi munere diutiùs, ac diutiùs prorogando.

Nec parum eandem opinionem declarant publici occurſus, quibus à præcipuis Europæ Academiis exceptus eſt: multorum ex Hiſpania, & remotioribus adhuc provinciis peregrinationes cognoſcendi illius causâ ſuſceptæ: artes à pluribus uſurpatæ, ut veram, & germanam illius oris effigiem neſcienti ſurriperent: inſolens ad eum in ſcholis audiendum celebritas, nec minor interea vel effrænæ juventutis modeſtia: ſtudium, quo illius Prælectiones undique expetebantur, quotannis magno ſumptu deſcribi ſolitæ, & quoquò verſùs dimitti. Adde tot alia argumenta: quòd viri primarii difficillimas de moribus déque officio quæſtiones ad eum enodandas afferrent: quòd præla, illius cudendis, recudendíſque voluminibus, aſſiduè calerent: quòd, obvios ad plauſus honoriſque ſignif[illegible]tandas, publico abſtinere à ſua coactus fuerit modeſtia: quòd communis interdicti ſeveritas illius funeri celebrando nequaquam obſtiterit: quòd demùm inſigniter adeo ſuum ex illius obitu mœrorem nobiliſſimæ Academiæ teſtatum voluerint: omnia ſanè ejuſmodi; ut non facilè alium reperire ſit ex doctrinâ præſtantibus viris, cui pares honoris fructus ſua eruditio pepererit.

Quid

Quid ornatiſſima elogia recenſeam; quibus eſt celebratus? cùm eum Conimbricenſis Epiſcopus alterum Auguſtinum; Dominus de Ceriziers, Chriſtianiſſimo Regi ab Eleemoſynis, ſui ſæculi Thomam; (a) Alphonſus Benerus ex Dominicana familia, Theologiæ ſuorum temporum Patrem, (b) appellare non dubitaverint. Audiatur Hernandus Salazarius: qui, de intaminato Deiparæ conceptu ſcribens, hæc palàm affirmat: (c) *Præ aliis, quos*
„ *antiquitas commendat, unus nobis ſuppetit Fran-*
„ *ciſcus Suarez, magnum hujus noſtræ ætatis* incre-
„ mentum, cujus gloriâ, & ſapientiâ illuſtra-
„ tum noſtrum ſæculum non invidet antiquis
„ ætatibus Alexandros, Albertos, Thomas,
„ Bonaventuras, *& Scotos.* Audiatur Joannes Caramuel, qui ſuam hiſce verbis ſententiam, ac mentem depromit. (d) *Suarium obtinu-*
„ *it Conimbrica*, ſanctiſſimum, & doctiſſimum
„ virum, cui ſimiliter poteſtis primas deferre,
„ & ex ejus vita, ac populorum devotione,
„ aut affectu ſperare, ut, qui illuſtravit ſuis
„ doctiſſimis ſcriptis veteres Eccleſiæ Patres;

 „ ut

(a) *Tom. 3. de vitis Sanct. in vita S. Jo. Dei.* (b) *In Manuali temporum fol. 295.* (c) *Cap. 32. arg. 7. §. 4. n. 57.* (d) *Theol. Reg. To. 1. diſp. 6. num. 53.*

„ ut Pater olim colendus ſit, cùm ſucceſſu „ *annorum nomen junioris exuerit*. Meretur his adjungi, & Alphonſus Mendeſius, Conimbricæ olim, atque Eboræ ſacrarum literarum interpres, Æthiopiæ deinde Patriarcha renunciatus: qui, ubi perplexus in divinis libris nodus occurreret, quàmvis multi adeſſent eâdem in profeſſione verſati cum laude Prælectores, Scriptoréſque; neminem tamen, præter Suarium, difficultatis expediendæ gratiâ, ſolebat adire: pluries teſtatus, nunquam ſe illius generis quippiam ad eum detuliſſe; quin planam, quæque ſibi faceret ſatis, rei explicationem acceperit: cùm ipſe ſacri codicis verba, hiſtoriam, eique adjuncta, nec non Sanctorum Patrum, atque interpretum ſententias mira cum celeritate in medium proferret, perindè quaſi totam hoc uno in ſtudii genere contriviſſet ætatem. Sed, ne rerum ſimilitudo, & prolixitas faſtidio Lectoribus ſit; concludam quidquid hujus eſt loci, verbis Laurentii de Ponte, ex Clericorum Regularium Minorum ordine authoris: qui, in altero ſuo ſuper ſapientia tomo, de Suario ſic loquitur: „ *Cujus quidem authoritas*, me ju„ dice, ita extollenda; ut neſciamus, an ali-

„ qua

(*a*) *Cap.* 10. *num.* 13. *Hom.* 22.

„ qua ex noſtris hiſce temporibus illi ſit ante-
„ ponenda. Sic enim piè, ſic dilucidè, ſic
„ acutè, ſic graviter, ſic tandem modeſtè
„ ſcripſit; ut verè primus ex diſcipulis, & D.
„ Thomæ interpretibus cenſeri ab omnibus
„ mereatur. Quibus ſi addas ejus ſanctiſſi-
„ mam immaculatámque vitam (quam o-
„ mnes ſcimus, vidimus, & attestamur) pror-
„ sus omni æſtimatione digniſſimam ejus do-
„ ctrinam facies.

De operum, quæ elucubravit, laudibus ſupervacaneum eſt loqvi: cùm per ſe illuſtria ſint; ut eorum accurata commendatio injuriæ genus videatur, non illi diſſimilis, quâ, juxta D. Ambroſii judicium, lucem afficeret, qui ea in deſcribenda ſolicitus admodum eſſet, tanquàm ſi alienum præconium, quàm ſuus cuique obtutus, illius poſſet pulchritudinem diſertiùs exprimere. Non abs re tamen fuerit aliqua eorum hic decora innuere: quorum bonam partem & modò dictus Laurentius de Ponte ſuo eſt teſtimonio complexus.

Primum ſit numerus, adeo inſignis, & locuples; ut Suarii vita, quæ primo illius de gratia volumini inſerta eſt, non ſplendidiùs affirmet, quàm veriùs: *Nullus Authorum ve-*

terum fuit, nullus recentiorum, quorum quidem opera extent, qui poſteritatem tam multiplici voluminum fœtu locupletaverit.

Alterum ſibi vindicat locum, memoratæ par copiæ, eorundem accuratio, & præſtantia: cùm ex tot libris nullus mediocritatem, & incuriam ſapiat: verùm omnes ſtudioſè elaborati ſint, ſuo omnes in ordine egregii. Ut planè mireris, abeſſe hinc illud inæqualitatis vitium, adeo cæteroqui commune multa in lucem edentibus; ut de ſuis id epigrammatis non erubuerit Martialis fateri, dum ſcripſit: (a)

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis hic. Aliter non fit, Avite, liber.

Tertium occurrit, ſumma, vel in obſcuris abſtruſiſque tractandis quæſtionibus perſpicuitas: quæ ita rem penitùs explicat; ut vix ullum dubitandi locum relinquat lectoribus. Quamobrem non veluit, qui illa ex Evangelio verba, (b) *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*, commodè meritóque ad noſtrum ſcriptorem tranſtulerit. Quòd ſi quiſpiam, laboris impatientior, majorem in ipſo propterea deſideravit brevitatem; næ is audire D. Iſidorum Peluſiotam debuerat: (c) Quo judice, *vera*

(a) *Lib.* 1. *Ep.* 17. (b) *Mat.* 18. (c) *Lib.* 3. *Ep.* 53.

„ *vera brevitas non in argumentorum* prætermiſ-
„ ſione, ſed in earum rerum, quæ ad inſtitu-
„ tam materiam nihil opis conferunt, reje-
„ ctione ſita eſt. Ut enim ea, quæ ab Ora-
„ tionis argumento aliena ſunt, ponere ſuper-
„ vacaneum eſt; ità etiam eorum, quæ ad
„ ipſius confirmationem aliquid momenti aſ-
„ ferunt, nihil omittere oportet.

Quarto ſtatuatur loco, admiranda tam variæ, támque multiplicis Doctrinæ conſenſio: omnibus, quæ hìc, illic, ubíque afferuntur, amicè ſibi mutuò reſpondentibus, absque ulla, vel ſemotiſſimarum inter ſe partium, oppoſitione, & diſcordia. Quod quàm non vulgare ſit tum capacis memoriæ, tum æquabilis ornamentum ingenii; eorum eſto judicium, qui & idem ſcribendi munus exercent, & in authoribus paulò attentiùs volutandis verſantur.

Quintum poſuerim, fœcunditatem uberrimam in novis promendis, quancumque præ manibus habeat diſputandi materiem, quæſtionibus, argumentis, reſponſis: adeo, ut Doctrinæ illius ſumma non tam ærarium appellanda ſit, collectis hinc indè refertum divitiis, quàm Aurifodina ſuomet pretio, ſuiſque partubus locuples.

Sextum haberi poteſt, ſententiarum, & teſtimoniorum copia, ex jure civili, & Canonico, & Sanctorum Patrum, atque Conciliorum monumentis, èque Divinorum codicum ſacrario, ad Theologicas locupletandas diſputationes, congeſta. Quos ſanè fontes non primoribus deguſtâſſe tantummodò labris, ſed iis ſe penitùs expleviſſe author demonſtrat: adeo doctè appoſitèque loca indidem hauſta perpendit, explanat, inter ſéque componit.

Septimum accedit, quòd nuſquam levitatis, faſtûs, maledicentiæ, aut pravæ ullius affectionis veſtigium liceat deprehendere: ſed ita ſyncerè, piè, graviter, modeſtéque omnia tractentur; ut non ſecùs, ac in ſpeculo, candidiſſimi illius, moderatiſſimique animi imaginem intuendam exhibeant.

Octavum, cæterorúmque omnium veluti quædam coronis eſto, Doctrinæ firmitudo, & integritas: cùm nulla illius pars erroris, aut temeritatis notam meruerit: ſed, quidquid ubique author pronunciavit, puriſſimi ad morem auri, ſuam quævis inter experimenta ſynceritatem probaverit, omnéſque adeo ejus libros, quod de Hilarii monumentis Hiero-

Hieronymus ſcripſit, (a) *inoffenſo pede liceat decurrere* Neque verò, ad hoc infuſcandum Suarii præclariſſimum decus, ea poteſt afferri ſacrorum fidei quæſitorum ſententia, quæ ex ipſius de Pœnitentia opere Decreti à Clemente VIII. editi interpretationem proſcripſit. Illa quippe, ut ſuo jam oſtendimus loco, non Doctrinam inibi comprehenſam erroris redarguit, ſed modum loquendi ſolummodo, ut, qui minùs doctis, cautisque lectoribus errandi poſſet anſam offerre, improbavit.

Libet poſtremò, tanquam totius operis clauſulam, ſcriptorum à Suario voluminum indicem addere: in quibus tamen recenſendis non temporis, quo impreſſa ſunt, ordinem ſequar, ſed, prout cujusque materies in D. Thomæ ſumma præcedit; ita priorem ipſi locum attribuam. Quæ literam P. adjunctam habebunt, poſthuma in lucem prodijſſe noverit Lector: non tamen ullam partem immutata ab Authoris exemplo: cùm ea ipſe moriens adeo abſoluta reliquerit; ut ne voculam quidem addere, vel detrahere, cùm ſubjicerentur dein prælo, opus fuerit.

In

(a) *Epiſt. ad Letam de Inſtit. filiæ.*

In Primam Partem ſummæ Doctoris Angelici.

DE Deo uno, & Trino.
De Angelis, P.
De opere ſex dierum, & de Anima rationali. P.

In Primam ſecundæ.

De legibus, ac de Legislatore.
De ultimo fine hominis, ac Beatitudine. De voluntario, & involuntario. De bonitate, & malitia humanorum actuum. De Paſſionibus, & habitibus. De vitiis, atque peccatis. P.
De Divina Gratia Tomus I. ubi potiſſimùm de neceſſitate gratiæ. P.
De Divina gratia tomus II. ubi de Auxilijs Gratiæ in genere, & in particulari de Auxilio ſufficiente, & de Auxilio efficaci. Atque hunc tomum eſſe legitimum Suarij partum, fusè probat contra ſuſpiciones aliquorum, Gabriel de Henao, de ſcientia media hiſtoricè propugnata à numero 389. P.
De Divina Gratia tomus III. nempe de gratia Habituali, ſanctificatione, ac merito. P.
De Divina Gratia tomus IV. ubi de vera intelligentia Auxilii efficacis, ejúsque concordia cum libero arbitrio. P.
Varia opuſcula Theologica de concurſu, motione, & auxilio Dei. De ſcientia Dei futurorum contingentium. De auxilio efficaci De libertate Divinæ voluntatis. De reviviſcentia meritorum. De JuſtitiaDei.

In ſecundam ſecundæ.

De virtutibus Theologicis, Fide, ſpe, & charitate. P.
De virtute Religionis tomus I. ubi præſertim de decimis, de obſervatione feſtorum, de immunitate Eccleſiarum, de Blaſphemia, de ſuperſtitione, de ſacrilegio, & fuſiſſimè de Simonia.

De Vir-

De virtute Religionis tomus II ubi de Oratione, de horis Canonicis, de Juramento, & de Voto.

De Virtute Religionis tomus III, ubi de ſtatu religioſo in genere, & de obligationibus, quæ ſtatum religioſum conſtituunt, vel ad illum diſponunt. P.

De Virtute Religionis tomus IV. ubi de obligationibus religioſorum ex regula, prælatione, & ſubjectione regulari provenientibus. De varietate Religionum tam in genere quàm in ſpecie, & valdè latè de Inſtituto Societatis Jeſu. P.

In tertiam partem.

De Incarnatione Divini Verbi.

De Myſteriis particularibus vitæ Chriſti, & de utroque ejusdem adventu. De Beata Virgine.

De S. Joſepho, & de S. Jo. Baptiſta.

De ſacramentis in genere. De ſacramento Baptiſmi, & Confirmationis. De ſacramento Euchariſtiæ, & de ſancto miſſæ ſacrificio.

De virtute, & ſacramento Pœnitentiæ. De extrema unctione. De Purgatorio. De ſuffragiis, & indulgentiis.

De Cenſuris Eccleſiaſticis in communi, & in particulari de excommunicatione, de ſuſpenſione, & interdicto, quibus additur Tractatus de irregularitate.

Præterea ex Theologicis.

Defenſio fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ adversùs errores ſectæ Anglicanæ, cum reſponſione ad Apologiam pro juramento fidelitatis, & ad Præfationem monitoriam Sereniſſimi Jacobi magnæ Britanniæ Regis.

De Philoſophicis.

Metaphyſicarum Diſputationum tomus I.

Metaphyſicarum diſputationum tomus II.

Hæc ſunt, quæ hactenus in publicum prodierunt Suarii volumina: eorúmque augere adhuc numerum

merum poſſet egregium de Immunitate Eccleſiaſtic
opus, ad Paulum V. Pontificem Maximum, ut jam
antea narravimus, miſſum: cujus tum alibi; tum in
celebri Barberina Bibliotheca manuſcriptum habetur
exemplar. Multa item in Luſitania ſuperſunt ejusdem
reſponſa moralia, non quidem imprimendi ſtudio
conſcripta, ſed his, aut illis conſulentibus per literas
reddita, & ab authoris exceſſu collecta: quorum in-
gens iam pridem in ſcholis expectatio: Nec ij, penes
quos facultas rei eſt, fraudata diutiùs, ut ſperamus,
volent literariæ reipublicæ vota.

Atque utinam, quæ in ejus operibus ad Theolo-
gicæ complementum ſummæ deſiderantur, de ma-
trimonio, deque juſtitia, & jure, diſputationes per
longiorem illi vitam licuiſſet attexere: novum, &
oppidò amplius cùm profana, tum Eccleſiaſtica fora,
ſuas expediendas ad cauſas, haberent præſidium, nec
ipſi quidem latiſſima hæc ſpatia emetiendi animus
deerat: Immo, cùm per id tempus tria Thomæ Sancii
de Matrimonio prodiiſſent volumina, & amicorum
non nemo ſuggereret, poſſe iam illum argumenti cu-
ram abiicere, quod ab alio occupatum, & ſuis undique
partibus abſolutum videret; candidè, pro ſuo ingenio,
reſpondiſſe fertur, aliam ſe, Sancii veſtigiis prorſus in-
tactam, decurſurum viam: nec diffidere, quin & no-
va proferret, & nihilò minoris, quàm quæ alter vul-
gaverat, utilitatis, ac ponderis. Sed tam præclara
mors conſilia intercepit: quæ authorem à matrimo-
nii commentatione ad beatas Agni nuptias transmiſit,
nec paſſa de juſtitia ſcribere, eam ipſi potiùs æternam
repræſentavit exhauſtorum mercedem laborum,
quam, (a) *coronam Juſtitiæ*, à ſupremo æquiſſimo
reddendam judice, nuncupavit Apoſtolus.

(a) *2. ad Tim. 4.*

O. A. M. D. G.

PROTESTATIO
AUTHORIS.

QUæ bonâ fide in hoc libro refero, ita meis Lectoribus propono; ut nolim ab ullo accipi, tanquam ab Apoſtolicâ Sede examinata, atque approbata; ſed tanquam, quæ à ſolâ authorum ſuorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum ſacræ Congregationis S. R. & univerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integrè atque inviolatè, juxta Declarationem ejuſdem Decreti à felicis recordationis Urbano Papa VIII. anno 1631. factam, ſervari à me omnes intelligant: nec velle me cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare; vel famam, & opinionem ſanctitatis, aut Martyrij inducere, ſeu augere; nec quidquam ejus exiſtimationi

adjun-

adjungere, ullúmque gradum facere ad ſuturam aliquando illius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem; ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui; quem, ſeclusâ hac meâ narratione, obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus filius haberi cupit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA